DE RE
MONETARIA VETERVM ROMANORVM, ET HODIERNI APVD GERMANOS IMPERII,

Libri duo.

MARQVARDI FREHERI
Consiliarij Palatini.

Accedit

NICOLAI ORESMII EPISCOPI LEXOuiensis (qui fuit Præceptor Caroli V. cognomento Sapientis Regis Galliæ) de origine & potestate, nec non de mutatione monetarum, liber subtilissimus: cum succincto tractatu eiusdem argumenti GABRIELIS BYEL: *& Notis in utrumque locupletissimis.*



LVBDVNI
Apud Gothardum Vœgelinum.
cIɔ Iɔ c v.

REVERENDISSIMIS ET SERENISSIMIS S. ROM. IMPERII PRINCIPIBVS ELECTORIB. AD RHENVM,

D. IOHAN. SVICARDO MOGVNTINO

D. LOTHARIO TREVIRENSI

D. ERNESTO BAVARO COLONIENSI
Archiepiscopis, & Archicancellarii. &c.

D. FRIDERICO PALATINO RHENI,
Bauariæ duci, Archidapifero &c.

Dominis suis longè clementißimis.

Vos singulos coram affari tremiscerem, vt scripto appellem iunctos, Pręcelsi Principes, fidentem facit materia: quæ est de instrumento humanæ societatis vtilissimo, deque insigni principatus non infimo, id est Monetâ. Nam & ab omni æuo ad Principes ea nominis vultusque vulgandi ratio propria pertinuit, & administrationem rei propemodum sanctæ præ aliis in Republica cordi habuerunt. Neque verò Ecclesiæ præsules suâ curâ inferiorem aut indignam censuerunt, quin & fomitem illum peccādi ad suam censuram reuocarent, & ingenio calamoque nobilem cumprimis materiam illustrarent. Quorum quidem monumenta per omnes & gentes & ętates in hoc genere extiterunt; è pri-

ſcis, in Græcia Epiphanii Conſtantienſis in Cypro; è mediis & imis, in Gallia Nicolai Oreſmii Lexouienſis, & poſtea Roberti Cœnalis Abrincenſis, in Germania Iohannis Dalburgii VVormatienſis Epiſcoporum, in Italia aut Hiſpania Antonii Auguſtini Ilerdenſis demumq; Tarraconenſis Archiepiſcopi, magni nominis & virtutis virorum. Cæteros enim qui in hoc campo verſati ſunt, non facilius quàm Homericarum nauium nomina enumerauero. Poſt quorum omnium diligentiam ſi quid nobis inſuper non vulgatæ obſeruationis repertum videtur, nō erit amicorum conſilii, quorum impulſu illud nunc profero, quod me debeat pœnitere. Id verò quidquid eſt opellæ, neque alii quam vobis, Principes venerandi, deberi, neque aliter quàm iunctis offerendum exiſtimaui: quos ab Auguſto culmine ſecundos, & primas Imperii deſtinas, præter collegii Septemviralis vinculum, ipſe Rhenus peplo ſuo, ceu peculiari quodam fœdere implexos tenet; inſtituto vt à maioribus inde accepto, ita conſtanti fide & fraterna coniunctione feliciter hactenus propagato, & æternùm ſanctè conſeruando. Vos nobiliſſima Europæ ora, viris armiſque & opibus artibuſque florentiſſima, quæ Romanis olim ſub Primæ & Secundæ Germaniæ nomine poſſeſſa,

non

non minus quam cis-Rhenana Teutonia dominos agnoſcit. Rhenus pater, cuius olim terribilem ripam inde Defenſores, Balliſtarij, Acincenſes, Armigeri, Martenſes, Vindices, Pacenſes prætexebant; hinc feræ & indomitæ gentes Nicri & Mogani Loganiq; accolæ premebant, nunc medius & ſecurus veſtra arua ſecat: veſtra caſtella Auguſtâ antiquitate nobilia, Moguntiacum, Bachiaras, Confluentes, Tuitium, tranquillus & incruentus prælabitur: vtramque ripam & Romanam & Germanam agnoſcens non dirimit, ſed ornat: nec iam luſoriis infeſtus, ſed lembis & onerariis lętus, & proprias dotes fundit, & vltro citroque

Longinquæ omnigenæ vectat commercia terræ.

Quibus non donis abundans! ſiue Bacheia munera miremur, illa tot populorum gulis expetita; ſiue quæſiti piſcis delicias, quem Rheni aduenam ciuem Venantius Pictauenſis Epiſcopus vocat: ſiue adeo quibus Hermus Taguſque ſuperbiunt, rutilantis metalli ramenta. Quod quidem præter vernaculum teſtem Otfridum VVeiſſenburgenſem Monachum, qui auriferas Francorum arenas laudat, & Æneam Senenſem Cardinalem, neque Græcos olim ignoraſſe Nonnus Panopolitanus & ipſe antiſtes Edeſſenus indicio eſt, in Dionyſiacis ita ſcribens:

Νηρεὺς μὲν τάδε δῶρα πολύτροπα, δῶκε δὲ κούρη
Περσικὸς Εὐφρήτης πολυδαίδαλον εἶδος ἀράχνης,
Χρυσὸν Ἴβηρ πόρε Ῥῆνος: ἐχεκτεάνων δὲ μετάλλων
Ἤλυθεν ἴκελα δῶρα γέρων Πακτωλὸς ἀείρων.

Neq; aliunde nimirum repetenda aureæ monetæ origo, cui à Rheno nomen natum, à maioribus vestris ceu IIII viris quibusdam procusæ, & cæterorum deinde Ordinum imitatione frequentatæ. Quem morem etiamnum retinentes, aureos argenteosque nummos aut coniunctim, aut eadem lege modoque, summa certè præ multis aliis integritate publicatis; & saluberrimo consilio institutos conuentus (quibus mihi interesse aliquando contigit) examinandis taxandisque omnegenus pecuniis diligenter habetis; & fluctuanti iamdiu rei nummariæ, quatenus morbi pertinacia admittit, remedium afferre satagitis: legum bonarum non minus hac etiam parte vindices acerrimi, quàm cætera salutis pacisq; & tranquillitatis publicæ custodes vigilantissimi. Quando autem ita Comitiorũ sententia tulit, vt quæ super hac re Circuli singuli inter se, quæ coniuncti pleno senatu in commune consulenda censerent, ad Moguntinum priùs Præsulem Germaniæ Archicancellarium ὡς ἡ Λατίνων βούλεται φωνή, ὡς δ' Ἕλληνες εἴποιεν, λογοθέτην (vt de eo Nicetas Choniates loquitur) pro more referantur; tuæ inprimis Celsitudini, Illustrissime

ſime Præſul, hæc etiam qualiacunque ſi reuerenter offerrem, nonniſi rite & ordine me facturum putaui: magna ſpe fretus, in re bona vel leues conatus, vtut à priuato homine, nec tam forte iſtarum rerum intelligente quàm patriæ certè & veritatis amante profectos, apud tantos Principes non minus æquitate & comitate laudatos quàm dignitate & potentia ſuſpiciendos, locum aliquem non meriti ſed gratiæ reperturos. Quod ſanè non poterit mihi animum non addere, ad ampliorem huius argumenti tractationem, ſub Pomponii nomine dudum promiſſam, tandem abſoluendam: vbi modò prius affectos de Romano Imperio, itemque de Germanica lingua commentarios, imò iam plenè maturos & clauſtra indignantes, fauente Domino in lucem protulero. Valete Clementiſſimi Principes. Luboduni, IIII. Non. Mart. Anno Meſſiæ nati MDCV.

Reuer. & Sereniß. VV. Celſitud. ſubiectiß.

MARQVARDVS FREHERVS.

ELENCHVS CAPITVM

LIBRI I.

LIBRI II.

DE ANTIQVIS PRINCIPVM ROMANORVM NVMISMATIS.

CAPVT I.

NVLLA in re, ausim dicere, populi Romani tantam aut sollertiam industriamque extitisse, aut in propaganda longè lateque & ad omnem posteritatem consecrāda sui memoria ambitionem, quanta in sola re numaria & toto monetarum numismatumq; genere obseruari potest. Nam ne de infinita & prope incredibili eorum varietate dicam, quæ tanta est, vt quot numos, tot singulares & diuersas formas obseruare liceat; vt liquidò confirmare possim, in immensa eorum copia, quæ partim apud antiquarios homines vidi, partim ipse habeo, vix semel atque iterum me duo numismata conspexisse, quæ licet inscriptione annoque atque adeò vtriusque (vt sic dicam) paginæ icone conuenirent, gemina tamen sibi essent, id est, ab eodem artifice eodemque instrumento cusa & efformata: Quale quæso illud est, quod omnes pene res sacras profanasque, domi militiæque gestas, quotquot vllis historiis & annalibus commēdare, vllo marmorum & monumentorum apparatu exprimere & celebrare potuerunt; easdem plerasque omnes, atq; etiam plu-

res quàm vllo in alio veterum memoriarum genere reperiantur, nũmorum orbibus insculpere & includere studuerunt: genere monimenti non tantum compendiosiore & faciliore, verum etiam ad famam rerum latè longeque dissipandam commodiore, & ad posteritatis memoriam longe durabiliore. Nam & ad eos populos, qui Romanæ vrbis aut aliarum ornamẽta, virorumque fortium statuas, & principum arcus columnasque, & templa Deorum videre non potuerunt; iam tum illatus per commercia nummus omnia illa suo orbe complectens, cumque nummo ipsa rerum fama penetrauit: & ad nostram ætatem, quæ vix insignium tot monimentorum pauca & lacera fragmina, annaliumque auctores partim mutilos & dimidiatos, partim fœdè corruptos maléque habitos retinuit, multis etiam omnino caret; numismatum ingens & admiranda multitudo peruenit, etiam selectissimorum, & adhuc satis integrorum, vt quædam ab incude adhuc recentia velutique aspera videantur. Quæ seu in veterum vrbium excisarum ruinis & parietinis, seu in thesauris & flauissis illo æuo hac illac reconditis, sepulchrisque & vrnis funeralibus sæpe-numero inuenta sunt & inueniuntur; seu in ipsis veterum ædificiis (quod memorabile mihi visum) inter singulorum lapidum commissuras hoc ipso consilio inserta, etiamnum à curiosis hominibus eruuntur & depromuntur: Vt vix credibile possit videri, tantam vim etiam cusi auri argentiq; & æris è terræ visceribus sine fine erui & hauriri. Sed faciebat singularis illa veteris legis Corneliæ numariæ cautio & sanctio, non minus notatu digna, quàm hactenus à nostris hominibus parum animaduersa, qua conflare & dissolvere nummos probos non minus interdictum erat, quàm improbos falsosq; cudere & monetam adulterare. Paulus 1. Sentent. Tit.

xxv. in princ. *Lege Cornelia tenetur, qui nummos aureos, argenteos adulterauerit, lauerit, conflauerit, raserit, corrupe- perit, vitiauerit, vultu've Principum signatam monetam præter adulterinam reprobauerit.* Vt enim *flare nummos* Latinis est nummos fingere, fundere, formare; quod & *proflare* Plinius vocat, vnde & *Flauissas* veteribus dictas Gellius auctor est, quod in eis non argentum rude & infectum, sed flata signataque pecunia condi consueuisset: & *Flaturarios* homines pecuniæ formandæ operatos Impp. vocant L. vi. C. Th. de fals. monet. Vlpianus in L. ix. D. ad Leg. Cornel. de fals. *quive argenteos nummos adulterinos flauerit*, quod apud Græcos ita legitur, νόθους ἀργυροῦς νούμμους πνήσας: Ita *conflare* profecto est eius rei contrarium agere, & quæ flata erant prius, igne subacta rursus in massam redigere, vt apud Lampridium in Alexandro: *Quartanos iam formatos in in moneta detinuit, expectans vt si vectigal contrahere potuisset, & eosdem ederet: sed cum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos iussit, & tremisses tantum solidosq́; formari.* Resoluere idem vocat in eodem: *Formas binarias ternarias & quaternarias & denarias etiam, atq; amplius vsq; ad bilibres quoq; & centenarias, quas Heliogabalus inuenerat, resolui præcepit, neq; in vsu cuiusquam versari.* Non licuit itaque iam tum per legem Corneliam nummos Principum conflare; quod & constitutionibus deinde interdictum fuit, ne iniussu Principum à quoquam fieret, l. 1. C. de auri publ. prosecut. l. 12. 13. C. Th. de susceptor. præpos. l. 1. C. Th. si quis pecun. conflauerit. ne nimirum ipse icon & rei impressæ memoria, cuius fine & contemplatione pecunia formata erat, periret. Eadem ratione qua nec statuas & imagines Imperatorum consecratas conflare citra maiestatis crimen licuit. l. 4. in fine &. l. 6. D. ad Leg. Iul. maiest.

L. Cornelia nummaria.

Conflare.

(in qua ea verba, *aliudve quid simile admiserint*, non possit quis aptius quàm de conflatis nummis interpretari) Tacitus lib. III. *L. Ennium equitem Romanum maiestatis postulatum, quod effigiem principis promiscuum ad vsum argenti vertisset, recipi Cæsar inter reos vetuit.* Nisi forte cuius memoria damnata esset. d. l. IV. D. ad Leg. Iul. maiest. Hoc genus vt statuas, imagines, clypeos deiici, detrahi, confringi, aboleri solitos: ita etiam nummos conflari Dion de Caio testatur lib. 60. *τῇ δὲ τοῦ Γαΐου μνήμῃ ἀχθόμενοι τὸ νόμισμα τὸ χαλκοῦν πᾶν ὅσον τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐντετυπωμένην εἶχε, συγχωνευθῆναι ἔγνωσαν.* Idque quod de nummis minimè conflandis dico, vsque adeò verum est, vt etiam posteriores Principes quamuis declinante Imperio & fisco pauperiore, potius tamen quàm priorum principum nummos conflarent & suo iconio recuderent, monetam deteriore argento, & (vt quidam Poeta loquitur) venæ secundæ facere maluerint: quæ *Maiorina* illa dicta videtur, à Constantio Imp. L. VI. C. Th. de falsa mon. Secus ac hodie, vbi non tantum priorum principum monetæ à successoribus plerumque recuduntur, sed & aurifabris omne pecuniæ genus conflare & in promiscuum manupretii vsum conuertere impune liberumque est. Atque hæc (vt opinor) vel præcipua causa esse potest, quod tanta veterum nummorum copia salua remanserit: non tantum qui integri & notabiles sint, sed & multorum qui omninò detriti & inaspicui: adeò vt & Iustiniani tempore plurimi veterum aureorum solidorum in vrbe Roma & aliis Italiæ partibus inuenirentur, vt ipse scribit in pragmatica sanctione ad Vigilium Episcopum Romæ cap. XIX. multoque magis Valentiniani. l. I. C. de veter. numis. potest. & adhuc nostro seculo multi tantam eorum vim possideant, vt priscorum illorum Crasso-

Craſſorum & Lucullorum cenſus eo ipſo pecuniæ numeratæ genere æquare poſſe videantur.

Interea verò dubitari apud nos etiam à doctis video, utrum totum illud nũmorum genus Cæſareos vultus & à tergo exquiſitiſſima variis modis ſigna impreſſa habens, illo ævo in promiſcuo & quotidiano monetæ & commerciorum uſu fuerit? Qua de re ſi ſentẽtiã meã roger, hoc tantũ dicere habeã, Aut nullã apud veteres Romanos monetam fuiſſe, aut certè hãc fuiſſe qua de agimus: & quidẽ æneã (quod illi minimè admittere volunt) vel maximè. Nec tamen (ut hoc prius expediamus, quod à nullo prius annotatum videmus) omne nũmi genus ab eodem profectum fuiſſe videtur. Totum enim ferè genus æneorum numorum Senatus auctoritate in gratiam & honorem Principũ cuſum formatumque fuiſſe ſtantis Imperii temporibus deprehendi. Senatus ſiquidem conſulto vt ſtatuæ, effigies, arcus, & id genus alià; ita & numi Principibus modò primum electis & inauguratis, modò alia atque alia gerentibus decerni ſoliti. Dion. lib. XLIV. de Iulio: πρὸς δὲ τούτοις τοιούτοις οὖσι, πατέρα τε αὐτὸν τῆς πατρίδος ἐπωνόμασαν, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν. Herodianus in Severo: ὁ δὲ Σεβῆρος καὶ πρὸς τὴν σύγκλητον τὰ αὐτὰ ἀνενεγκὼν, ὡς ἂν μᾶλλον αὐτὸν εἰς πίστιν ὑπαγάγοιτο, νομίσματά τε αὐτοῦ κοπῆναι ἐπέτρεψε, καὶ ἀνδριάντων ἀναστάσεσι, ταῖς τε ψοφοῖς τιμαῖς τὴν νοθεῖσαν χάριν ἐπιστώσατο. Et ita quidem, ut cauſa decernendi in ipſo nummo nõnunquam notis literisque exprimeretur, veluti in Auguſti: *Ob civeis ſervatos. Quod per eum reſpublica in ampliore atque tranquilliore ſtatu eſt. Quod viæ munitæ ſunt. &c.* Sed cudebatur Senatus iuſſu ęreus tantùm numus, vt ex Dionis loco ſupra allato videre eſt, ubi omnem Gaii numum, æneum tantum, conflatum Senatus iuſſu refert.

S. C. Cuius rei certissimum argumentum est, quod omnibus ferè æneis, quocunq; æris genere flatis, nota S. C. impressa cernitur: idque in omnibus Latinis nũmis

Græci numi. (in Græcis enim nũmis apud eas provincias cusis, quæ per præsides regerentur, idem non apparet) ad id usque temporis, quo per triginta Tyrannos respublica miserandum in modum lacerata fuit, deinceps verò Senatus auctoritas paulatim evilescere cœpit, constanter servatum observare licet: quas tamen notas in nullo aureo argenteove numo adhuc videre mihi licuit. Nimirum quia aureos argenteosque ipsi Imperatores suo arbitrio in aulicis & palatinis monetis cudebant, & (ut auctor quidam vetustus sed Anonymus, Notitiæ Imperii subiectus, loquitur) *potentia Regalis pro licentia speciem suam in auro tantum argentoque signavit: quæ pro reverentia figura nullis usibus proficiens ad honorem regium sacrata permansit.*

Aurei & Argentei. De auro primum fidem facit Plinius Lib. XXXIII. cap. III. ubi de aureo numo loquitur; *paulatim* (inquit) *principes imminuere pondus aureorum; minutissimè Nero* (ita corrigentibus adsentior) *ad XLV. M.* Et Papinius in epitaphio Hetrusci, qui quæstor fuerat Domitiani:

Quod domuum celsis niteat laquearibus aurum:
Quæ Divûm in vultus igni formanda liquescat
Massa, quid Ausoniæ scriptum crepet igne monetæ.

De argento fidem facit Suetonius in Octavio: *Tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, numumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.* Et Philostratus de Apollonio lib. I. drachmæ argenteæ à Tiberio signatæ meminit. Addo

Electrei. & electreos à principibus signatos, quippe auro argentoque remixtos. Lampridius in Alexandro: *Alexandri habitu numos plurimos figuravit, & quidem electreos*

æreos aliquantos, sed plurimos tamen aureos. Hoc loco nescio an non Traianum excipiam, cuius etiam in aureis & argenteis, etiam qui denariis maiores, semper ferè hæc inscriptio visitur, *S. P. Q. R. optimo Princip.* Quod ex singulari eius principis modestia factum credibile est, qua etiam statuas & honores deprecatum legimus, quam tantopere Plinius Secundus in Panegyrico deprædicat. Tandem verò oppressa penitus per Principes republica, Senatusque auctoritate veluti capite deminutâ, factum est; vt omne nūmi genus etiam æneum quodvis à Principibus ipsis cuderetur. Et hinc est, quod in posteriorum Principum, circa Constantini tempora, nummis æneis nunquam amplius S C. nota illa pristina cernatur: Sed aliæ potius, locum significantes monetæ Palatinæ, ubi cusi essent: veluti: PTR. & P. T R E. & T. & TR. & TRS. & TR. P. S. quæ *pecuniam Treueris signatam* innuunt: Quippe cum & Libellus Dignitatum (qui sub posterioribus Imperatoribus confectus videtur) *Procuratoris Monetæ Trevirorum* meminerit, & in lapidibus quoque III *virorum monetæ Triveri. æ* mentio inveniatur. Eadem ratione qua & P. L V G. *pecuniam Lugdunensem*, & A Q P S. *Aquileiæ pecuniam signatam* in eiusdem generis numis denotat; & sic de reliquis. Traiani Imp.


Et hæc cum ita sint (ut ad rem redeam) nullus equidem dubito, quin omne illud genus aureorum, argenteorum, æneorum numorum monetæ & pecuniæ usu vulgo fungeretur: & quidem eo magis, quo magis ad honorandum principem, resve gestas famæ & posteritati consecrandas factum esset: quippe cum non alia melius ratione in manus & ora hominum pervenire posset, quàm per commerciorum & quotidiani usus liberrimam facultatem. Quod ne longius repetamus,

tamus, satis intellexit vel Rex ille Italiæ Theodericus, Gothus licet & qualiscunque Romanorum imitator, cum apud Cassiodorum in formula Comitiuæ Sacrarum largitionum lib. VI. cap. VII. ita scribit: *Supplicum fortunas per te erigimus: Kalendis Ianuariis affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est. Verum hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, ut figura vultus nostri metallis usualibus imprimatur, monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commonere. ô magna inventa prudentum! ô laudabilia instituta maiorum! ut & imago principum subiectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum.* Idemque libro VII. cap. XXXII. *Monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie? Sit mundum quod ad formam nostræ securitatis adducitur. Claritas regia nihil admittit infestum. Nam si vultus cuiuslibet sincero colore depingitur, multo iustius metallorum puritate principalis gratia custoditur.* Auctor ille anonymus, Philosophus tamen, in opusculo quodam ad Honorium & Arcadiũ Impp. (ut videtur) scripto, & notitiæ Imperii subiecto: *Sequentior ætas æris redundante materia, quam publicus iam recusabat mœnium ornatus, diuturna ut prior monumenta meditata, æs validum ipso pondere pretiosius figuravit: cuius species pro qualitate (ut diximus) ponderis diuturnior fuit. Sed potentia regalis pro licentia speciem suam tantum in auro argentoque signavit: quæ pro reverentia figuræ nullis usibus proficiens, ad honorem regium sacrata permansit. Aeris autem materia, quæ iam præ copia vilior erat, ad dona militaria & varia populorum commercia signabatur.*

Solidi. Extra dubium itaque habeo, aureos veterum Imperatorum nummos, illos ipsos (quorum toties in nostro iure mentio) Solidos fuisse.



Argenteos verò, denarios, quinariosque, & libellas sembellasque tam certò fuisse; quàm consulares argenteolos, fuisse illos ipsos Bigatos & Victoriatos quorum Plinius meminit, & Serratos, quorum Tacitus, dubitari non potest. *Denarii.*




Maiores verò aureos argenteosque pro ponderis sui ratione ad sestertiariam rationem redactos computatosque fuisse.

Ad æreos autem quod attinet, quos Auctor ille *pondere ipso pretiosiores* eleganter & verè scribit: (quis enim nō videt, decem asses, vel quinque dupondios ab unius denarii argentei pretio, si metallum solum æstimemus, longè abesse) observavi tria eorum esse genera, quæ frequentius occurrant. Vnum ex ære cyprio flatum, non spissum valde, & tale, ut omnes prope eius generis nummi in magnitudine & pondere probè inter se conveniant, nisi quatenus unus magis altero terræ (in qua tot seculis delituit) acrimoniâ & ærugine erosus & tenuatus esse potest: eos Asses fuisse mox docebo. *Asses.*



Ṛaróque illo genere minores ex ære hac ætate invenire contingit; quamvis olim & ſemiſſes trientesque & quadrantes, & alia id genus raudu ſcula minima etiam uncialia & ſemiuncialia ex ære cuſa eſſent: & quædam adhuc eiuſmodi rauduſcula, ſed pauciſſima, etiam antiquorum principum viſantur: Credo quod propter exiguitatem ſuam temporis & terræ iniuriâ vel maxima ex parte conſumpta & penitus exeſa ſint. *Trientes.*

Alterum eſt genus magnitudine non magnopere ab illo differens, ſed duplo craſſius, pondere fere duplo, & ære (nõ cupro) flavo conſtans: in quo & à tergo, ferè vt in priori aſſium genere, ſingularia plerunque ſigilla impreſſa videre eſt. Eos ego dupondios fuiſſe duoſque aſſes valuiſſe affirmo. *Dupondii.*



Et ſi quod inter hæc duo genera medium invenitur, eos ſeſquiaſſes fuiſſe crediderim, quorum quidem mẽtionem *Seſquiaſſes.*

tionem facit Didymus apud Priſcianum. Tertium denique his maius & amplius, & inter eos nummos qui à Senatu cuſi, notamque S. C. impreſſam habent, omnium maximum, figuris etiam plerunque inſignioribus, variiſq; complurium perſonarum notis inſignitum eſt, ære & ipſum meliore flavoq; conſtans: quod ſeſtertios fuiſſe aſſevero, non tam mea coniectura ductus, quàm inſigni Plinii loco, quo hæc modò dicta omnia comprobantur, lib. X X X I V. cap. I I. ubi de ære agit: *ſumma gloria* (inquit) *æris nunc in Marianum converſa, quod & Cordubenſe dicitur. Hoc à Liviano Cadmiam maxime ſorbet, & aurichalci bonitatem imitatur in ſeſtertiis dupondiariiſq;, Cyprio ſuo aſſibus contentis.* Vnde perſpicuum eſt, errare etiam eos, qui ſeſtertios ſub principibus tantum argenteos fuiſſe ſcribunt. Cum non tantum Veſpaſiani temporibus ex ære Mariano cuſos Plinius modo dixerit: ex quo genere eſt iſte, & alio loco à nobis exhibitus. *Seſtertii.*



Sed viſantur plurimi ex ære Corinthio, optimo illo &(ut cum Prudentio loquar) aurulento effecti, quod metallum (ut Tullius I I I. Tuſculanarũ ait) tardius æruginem contrahit, ſeu propter ſui bonitatem, ſeu ob quantamcunque auri portionem remixtam. Quam adeò ob cauſam, quod legimus, *ſeſtertii pretium tandem creviſſe ad quatuor aſſes*, cuius rei etiam veſtigium extat *Aes Corinthium.*

 in l.

in l.ult.C.de donat.id ipſum exiſtimare quis poſſit, etiam ad æneos illos ſeſtertios vel maximè pertinuiſſe; cum quidem non poſſet non eius metalli bonitas cæterorum nũmorum pretium vincere. Eadem ratione qua Plutarchus in lib. de Pyth.orac.ubi de ære Corinthio diſſerit, memorat fabrum quendam ærarium Corinthi cum in ciſtam multo auro repletam incidiſſet, metuentem ne palàm hoc fieret, paulatim aurum abſcidiſſe, & æri ſenſim permiſcuiſſe; idque mirabili cõtemperatum modo colorem pulcrum fuiſſe adeptum, magnoque idcirco pretio venditum. Et ſeſtertios magnos ſatis amplosque fuiſſe, argumento poteſt eſſe Iuvenalis locus, mulli pondus & magnitudinem mirantis, Satyra IV. *—mullum ſex millibus emit*

Aequantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Et hinc nimirum factum eſt, cum ſeſtertiorum illi nummi omnium ut maximè insignes, ita in uſu frequentiſſimi eſſent, vt tota olim apud populum Romanum calculi ratio in omnibus publicis privatisque negotiis non ad aliam quàm ſeſtertiariam rationem plerunque ſemper revocaretur.

Medaglioni Medaillons.

Neque hoc loco diſſimulandum eſt, eſſe etiam æneorum nummorum genus, prægrande illud & ſolito maius ponderoſiuſque (Metalliones vulgo vocant) & plerunque res notabiliores inſigniores que inſculptas habens, non tantum apud provincias Græcas vel Aſiaticas, ſed etiam vrbem Romam in Cæſarum honorem procuſum, in quo nunquam S. C. nota viſatur. quo vno argumento ſtatim extraordinarios agnoſcas, ubi videris.

Prorſus









Prorſus vt (ſi quid coniecturâ aſſequi valemus) non tam ad quotidianum pecuniæ vſum, quàm eo potius effictum cuſumque ab ipſis Principibus videatur, vt congiarii loco populo diſtribueretur, pro donatiuo militibus ducibuſque præberetur, vel in theatro circoue aut in triumphalibus pompis miſſilium vice per φιλοτιμίαν (vti Harmenopulus ait) ſpargeretur; aut aliàs propinquis, amicis, ſenatoribus, equitibus, pro ſtrenis aut apophoretis, quavis denique cauſa donaretur: neque eo minus tamen, ſi vſus ferret, publicè expen-

di pro ponderis ratione & valore, quaternis puta ſeniſve aut octonis aſſibus,& ſic quintuſſium,octuſſium, decuſſium aut centuſſium vicem fungi poſſet. Cum præſertim nefas eſſet vllum nummi genus, imagine Principis ſignatum,in commerciis recuſare.

Neque etiam hoc negavero, fuiſſe ſemper quoddam nummorum genus,quod non tam in promiſcuo pecuniæ uſu verſaretur, quàm potius ob raritatem aliquam vel memoriam aſſervaretur, neque facilè expenderetur: adeò ut etiam in eo genere conſtitui uſumfructum poſſe Pomponius I C ſcribat. l. XXVIII. D. de uſufr: *Numiſmatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis uti ſolent, uſusfructus legari poteſt.* Eorumque numiſmatum meminit & l. IX. §. IV. D. ad exhibend. l. XXVII. §. IV. D. de auro argent. leg. Et Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Qui nunc Victoriatus appellatur,* inquit, *lege Clodia percuſſus eſt: antea enim hic nũmus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur.* & Voluſius Mætianus I C. in lib. de Aſſe: *Peregrinus* (inquit) *nummus loco mercis, vt nunc tetradrachmum & drachma habebatur.* Ex quibus tamen omnibus locis apparet, ea numiſmata peregrini & exotici generis magis quàm Romani fuiſſe; Daricos puta, Philippeos, Atticos, idque genus alios. Sanè ſub poſterioribus Principibus non omnem nummum in publico uſu fuiſſe, manifeſtè apparet ex l. 1. C. Th. ſi quis pecun. conſl. & l. 2. ubi ita ſtatuunt Arcadius & Honorius Impp: *Centenionalem tantum nummum in converſatione publica tractari præcipimus, maioris pecuniæ figuratione ſubmota. Nullus igitur Decargyrum nummum aliò andeat commutare, ſciens fiſco eandem pecuniam vindicandam, quæ in publica potuerit converſatione deprehendi.* Quæ verò hæc nummorum genera fuerint, nondũ mihi ſatis liquet.

Numiſmata non moneta-ba.

DE FI-

DEFINITIO MONETÆ EXPOSITA.

CAPVT II.

PLacet definitio monetæ apud Paulum L. 1. D. de contr.emt. *Materia forma publica percussa, usum dominiumque ex quantitate magis prabens, quàm substantia.* Forma publica est, quæ imposita à Triumviris æri, argento, auro flando, feriundo; aliisve magistratibus monetalibus iam inde Lege XII. Tabularum creatis: *Minores magistratus as, argentum, aurum, publicè signanto.* aut postquam maiestas imperiumque à populo in principem translata est, à principe ipso, quæ auctoritatem nummo tribuit: nam privata forma quæ est, adulterinam esse necesse est. Denique forma publica est iconium publicum, quod habetur & exercetur in officina monetaque publica vel palatina. l. VI. §. qui cum in moneta. D. ad leg. Iul. pecul. nam & ipsa officina sive ἀργυροκοπεῖον vocatur Moneta ibi, & in l. II. C. de fal. monet. l. III. & VI. C. Th. eod. Macrob. 2. in som. Scipio. *semen locari intra formandi hominis monetam.* quamvis Moneta propriè sit ipse character & sphragisterium, iconium (vt Suetonius vocat) quo nummus insignitur, ceu sigillo annuloque bulla. Harmenopulus: Μονῆτα καλεῖται τὸ ἀρχέτυπον σφραγιστήριον ἢ βουλλωτήριον, μεθ᾽ ὧν ὁ τῶν νομισμάτων τύπος διαχαράττεται. Tota enim monetæ faciendæ ratio hæc est, ut primò ipsum metallum ignibus excoctum & temperatum (*flare* id vocamus, Plinius *proflare*) præparetur: deinde in lamellas æquales concidatur, quæ κέρματα dicuntur: tum denique iconio & typario cudatur, feriatur, percutiatur & signetur. Quæ omnia eleganter, licet non suo ordine, expressit Lucanus:

Primus

Primus Thessalica rector telluris Ionos
In formam calidæ percussit pondera massæ,
Fudit & argentum flammis, aurumque monetæ
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Quinimo etiam pleraque vetera numismata, ærea præsertim illa magna & extantia (quæ *Medallias* & *Medalliones* vulgò vocant) primum quidem liquefacto metallo typis formisque infusa & rudius formata, deinde demum incudi reddita, & iconio ferreo sive chalybeo incuso & adacto signata, nec aliter tam crassa & extantia ita accuratè excudi potuisse ab artificibus didici: quamvis & hi obscuram sibi illam rem, & inimitabilem veterum ea in parte solertiam esse fateantur. Idque illis verbis significatur, *Flando, feriundo*, quæ in ipsis etiam antiquis nummis his literis expressæ visuntur A. A. A. F. F. Quod non ita probe in adulterinis servatum fuisse animadvertere licet. Adulterinorum enim (ut & de his aliquid addam) etiam olim nimium quam multum passim subinde irrepebat nummorum: adeo ut vel hodie plurimi falsi & mendosi etiam inter antiquæ notæ argenteos aureosque nummos inveniantur, qui cum bracteati extrinsecus speciem aliquam præ se ferant, intus tamen ærei & sic suppositicii deprehendantur; ut artis non exiguę esset eos posse discernere. Plinius lib. XXXIII. cap. IX. *Miscetur æs falsæ monetæ. Alii è pondere subtrahunt, cum iustum sit* LXXXIV. *è libris signari. Igitur ars facta denarios probare. Mirumque in hac artium sola vitia discuntur; & ut falsum denarii spectetur exemplar, pluribus veris denariis adulterinus emitur.* Et hinc tam frequens Adulterinorum nummorum in iure & alibi mentio. L. XIII. C. Th. de susceptor. præpos. *non solidi, pro quibus adulterini sæpe subduntur.* Hi non materia tantum deteriores erant

probis,

probis, quippe ea ipſa re compendium falſarijs illis quærentibus: ſed nec forma tam bona, cum plerique flarentur tantum & funderentur ad imitationem verorum, non etiam ferirentur, forte quod iconium & forma falſarijs deeſſet. Vlpianus L. IX. D. ad Leg. Cornel. de falſ. *qui argenteos nummos adulterinos flauerit.* Idem *fingere* vocat hoc quod dico L. VIII. eod. Imp. Conſtantinus L. II. C. de falſa mon. *Si quis nummos falſa fuſione formauerit.* Licet nonnulli & percuterent: L. XIX. D. eod: *Qui falſam monetam percuſſerint, ſi in totum formare noluerunt, ſuffragio iuſtæ pœnitentiæ abſoluuntur.* Ideoq; olim in cautionibus plerũq; addebatur, *vt probi numi ſoluantur,* qui non ſint ſubærati, in quibus nulla ſit lacuna, nulla deminutio iuſti ponderis, vt L. lecta. D. de reb. credit. *probam pecuniam reddi.* L. Titius. D. de conſtit. pecun. & in formula fœderis Antiochi Regis apud Liuium XXXVIII. *Argenti probi Attici, talenta duodecim millia dato.* & ſæpe apud Demoſthenem in ſyngraphis: ἀποδοῦναι τὸ ἀργύριον δόκιμον. Plus addebatur in manumiſſione ſacrorũ cauſa auctore Feſto; *Puri, probi, profani, ſui*: quia nec ſolutio pecuniæ impuræ vel reprobæ, vel ſacræ vel alienæ liberat debitorem.

Ea autem nummi forma, ex quo (vt dixi) in principem omnis poteſtas translata eſt, vultum fere Principis habet cum inſcriptione; vt ſtante republica Conſulum nomina, non tamen vultus, ſed Romæ plerunq; galeatæ alteriusve pro arbitrio numinis. Idq; ita perpetuum eſt, vti non alio melius è re nata argumento Phariſæorum rebelles Romanis animos damnare Dominus potuerit, quàm ex ipſo denario cenſui debito, habente Tiberii Cæſaris εἰκόνα καὶ ἐπιγραφήν. Prudentius.

En Cæsar agnoscit suum
Nomisma nummis inditum,
Cui nummus omnis scribitur.

Vnde Iuuenalis Satyr. 14. monetam ita definit.

Concisum argentum in titulos faciesque minutas

& Satyra VIII. -- *lance beata*

Dacicus aut scripto radiat Germanicus auro.

Quantitas ea est, quam paulo ante dixit æqualitate sua, quod publicam ac perpetuam æstimationem habet, difficultatibus permutationum subuenire. Quia rerum nimirum omnium incerta, fluxa & variabilis est æstimatio, vt Plato inquit: τὰς μὲν χρείας εὕροι τὶς ἐν καιρῷ καὶ νόμῳ καὶ ἡδοναῖς καὶ ἔθεσι καὶ τύχαις ἄνω καὶ κάτω εἰς τὴν τιμὴν καὶ ἀτιμίαν μεταβαλλόμενας. Nummi perpetua & certa est æstimatio, vt ait Vlp. in l. 3. D. de in lit. iuran. adeo vt omnibus rebus vænalibus possit adæquari semper commodissimè: omnes enim res pecunia æstimãtur. L. pen. C. de constit. pecun. Ideo nummum vsum dominumque ex quantitate ait præbere magis quàm ex substantia. In nummis & pecunia non corpora spectantur, sed valor & potestas: vt pecunia valeat & censeatur non lamella, sed æstimio & indicatura. l. 1. §. non solum D. ad leg. Falcid. l. 1. D. de contrah. empt. l. 29. & l. 94. D. de solut. Res cæteras ex substantia non quantitate, quia quantitas & valor earum perpetuus non est: sed (ut Tullius loquitur) precia earum sæpe iacent. Nummi precium est perpetuum, vt eiusdem ponderis nummi eodem semper valore censeantur, æqualitate quadam admirabili, etiamsi diuersorum sint vultuum; ne Philippei (puta) pluris sint quam Antoniniani. L. III. C. de veter. numism. potest. Theodos. nouel. XXV. de pret. solidi. Leo philos. Nouel. LII. si modo in pondere conveniant,

quod

quod ſolent. Hæc eſt illa æqualitas, quam etiam Barbaris fuiſſe admirabilem Plinius & Solinus ſcribit: *Stupuiſſe regem Taprobanes pecuniam, quæ cum liberto Annii Plocami capta fuerat, quod tametſi ſignata diſparibus foret vultibus, parem tamen haberet modum ponderis,* (vel vt Plinius loquitur) *quod pares pondere denarii eſſent in captiua pecunia, cum diuerſæ imagines indicarent à pluribus factos. Cuius æqualitatis contemplatione Romanam amicitiam flagrantius concupiuit.* Et quam aliquando Nicephorus Phocas quod contra legem moremque maiorum violaſſet, tetartero excogitato, non parum ſubditis incõmodaſſe ſcribitur: Νόμου καὶ ἔθους, inquit Cedrenus & Zonaras, ὄντων πάντα χαρακτῆρα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖτο, δύναμιν εἰσφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον, ὁ τὸ ἑαυτοῦ προκεχαράχθαι ἐνομοθέτησεν, ὑποβιβάσας τοὺς τῶν ἄλλων. Ἐξ ἧς αἰτίας οὐ μικρῶς ἔθλιψε τὸ ὑπήκοον ἐν τοῖς λεγομένοις ἀλλαγίοις. Et hoc vult ipſa Monetæ effigies, quæ eadem plane figura pingitur qua Æquitas, cum bilance & cornu copiæ, in nummis Hadriani, Domitiani, Diocletiani, Conſtantis,



Et in nummis Probi & Criſpi Impp. tres tales diuæ effictæ cernuntur, tria (vt puto) monetæ genera ex auro, argento, ære ſignificantes, ſingulæ cum bilance & cornu Amaltheæ: quorum hoc ſignificat, nummo omnia eſſe parabilia; vt & Philemo comicus, *argentum eſſe cornu Amalthea*: illa ęqualitatem illam cudendę mone-

tæ; vt eiuſdem generis & gradus numi eodem pondere ad amuſſim cudantur; qui eiuſdem ponderis ſunt, eodem valore perpetuò cenſeantur.

LEGES NVMMARIÆ ROMANORVM.

CAPVT III.

I.

TRIVMVIRI MONETALES AVRVM, ARGENTVM, ÆS PVBLICE SIGNANTO. Vetuſtiſſima XII. Tabularum ſanctio. Pomponius L.2.D. de orig. iur. §. Eodem tempore: *& triumuiri monetales, æris, argenti, auri flatores*. Qui his notis noti: IIIVIRI. A. A. A. F. F. Tullius epiſt. 13. lib. 7. *Treuiros vites cenſeo: audio Capitales eſſe: mallem auro, argento, ære eſſent.* Et hi quidem ſtante Republica magiſtratus monetales erant. Sub Principibus Procuratores monetę vel Prępoſiti, qui ſub cura Comitis ſacrarum largitionum, & Monetarios magno numero ſub ſe habebant, vt ex Codice, Noticia Imperii, Marcellino aliiſque conſtat. Summa legis eſt, *Ne quis præter magiſtratus monetales monetam facere audeat.* Quiſquis enim priuatus priuatim facit, falſam vel falsò facit: adulter eſt monetę, & vindex eſt Lex Cornelia Nummaria. L.1.2.4.5.8.C. de falſa mon. παραχαράκτας vocat l. 8. C. Th. eod. graue crimen, quod etiam in legem Maieſtatis incidit, vt ibi dicitur, & l. 7. C. Th. de indulg. crim. Quorum artes erant variæ. Alii enim falſa fuſione faciebant, d. l. 2. & l. 3. C. Th. eod. quod eſt *fingere nummos*. l. 8. & 9. D. ad leg. Cornel. de falſ. vbi *flauerit* eſt fuderit, vtique deteriores bonis, pro argẽteis ſubæratos, vel ſtanneos aut plumbeos. l. 9. §. 1. D. eod. Alii etiam percutiebant, falſo iconio

nio confecto, vt l. 19. Eod. Alii tingebant, vt loquitur D.l.8.id est deaurabant, inargentabant, vel aliqua arte colorem conciliabant: vnde *Tinctura* nomen (*Elisir* Arabes vocant) inter illos notum. Pœna autem falsariorum monetæ apud Ægyptios fuit manus amputatio, teste Diodoro Siculo lib. 2. & Græcos, teste Harmenopulo lib. 6. Tit. περὶ διαφόρων πινῶν. §. περὶ μονήτας. Basilic. lib. 60. Tit. περὶ χαραχτ. Nouella 34. cap. 13. Lögobardor. lege lib. 11. cap. 98. Witigothor. lib. 2. Tit. 5. lege 8. Caroli M. Capitul. Tit. De falsa monet.

I I.

MONETARII IPSI IVSTE SINCEREQVE NVMMOS FACIVNTO. Iustè, à metallo & pondere. Metalla sincerè administranto: *Auri flamma nulla iniuria permixtionis albescat: argenti color gratia candoris arrideat: æris rubor in natiua qualitate permaneat*, ait idem Cassiodor. lib. 7. epist. 32. Itaque peculatus tenebatur, qui in aurum, argentum, æs publicum quid inderet, immisceretue, aut fieri permitteret. L. 1. D. ad leg. Iul. de peculat. Ait, *Publicum*: quia ex priuato metallo nec in publica moneta impune pecunia cuditur. l. 6. 7. 9. C. Th. de falsa mone. Ponderis deinde ratio constet, qua potissimum moneta censetur. *Pondus quinetiam constitutum denariis præcipimus debere seruari, qui olim tam penso quàm numero vendebantur: vnde verborum vocabula competenter ab origine trahens Compendium & dispendium pulchrè vocavit antiquitas*, ait idem Rex apud Cassiodor. Hoc est quod loquitur ipsa MONETÆ effigies, eadem planè figurâ qua Æquitas representata in ipsis nummis, cum bilance & cornucopiæ; quorum hoc significet, nummo omnia esse parabilia, illa æqualitatem cusionis, vt eiusdem generis & gradus nummi etiam sub diuersis Principibus (quam æqualitatis curã in

Romana pecunia Regi Taprobanes ſummæ admirationi fuiſſe, Plinius & Solinus ſcribunt) eodem pondere ad amuſſim cudãtur; qui eiusdem ponderis ſunt, eodem valore perpetuò cenſeantur. Id quod ſequitur.

I I I.

NVMMORVM EIVSDEM GENERIS PROBORVM OMNIVM IDEM PRECIVM ESTO, etiamſi diuerſorum ſint Principum. l. 3. C. de veter. numiſm. poteſt. etiamſi diuerſa orbis figura aut menſura ſint, modo pondus idem. l. vnica. C. Th. Si quis ſolidi circul. exter. incider. Hac lege violata, & tetartero (quod vocabat) excogitato, male audiit Nicephorus Phocas, vt Zonaras & Cedrenus ſcribit: Νόμου καὶ ἔθους ὄντος, πάντα χαρακτῆρα βασιλέως, εἰ μὴ τῷ σταθμῷ ἐλαττοῖτο, δημόσιον εἰσφέρειν καὶ ἔχειν ἰσότιμον, ὁ τὸ ἑαυτοῦ τεταρτηρὸν ἐνομοθέτησεν, ἀποβιβάσας τοὺς τῶν ἄλλων: ἐξ ἧς αἰτίας οὐ μικρῶς ἔθλιψε τὸ ὑπήκοον ἐν ταῖς ἀλλαγαῖς.

I V.

NVMOS LEGITIMOS REPROBARE NVLLI FAS ESTO, ſub pœna legis Corneliæ capitali. Paulus v. ſentent. tit. 25. in princ. *vultuve Principum ſignatam monetam præter adulterinam reprobauerit.* Arrianus ad Epictetum lib. 3. τὸ τοῦ Καίσαρος νόμισμα οὐκ ἔξεστιν ἀποδοκιμάσαι τῷ τραπεζίτῃ, οὐδὲ τῷ λαχανοπώλῃ: ἀλλ᾽ ἂν δείξῃς, θέλει ὡς θέλει προέσθαι αὐτὸν δεῖ τὸ ἀντ᾽ αὐτοῦ πωλούμενον. L. 1. C. de veter. numiſm. poteſt. Id quod & multis Principum legibus repetitum eſt, Theodoſii Nouella 25. de prec. ſolid. Maioriani nouel. 1. §. præterea nullus. Iuſtiniani pragmatica ſanct. ad Vigil. Pap. cap. 19. Leo Philoſop. nouel. 52. Et tandem adeo Caroli M. Imp. lib. 3. Longobard. leg. Tit. 28. *Quicunque liber homo denarium merum & bene peſantem recipere noluerit, bannum noſtrum, id eſt, LX. Solidos componat &c.* Reprobos autem nummos recuſa-

recuſare fas eſt: qui etiam numerati non liberationem pariunt ſoluenti. L.eleganter.24.§.1. D. de pignerat. act. Imo deprehenſi publicè abolebantur, conflabantur, concidebantur. Etymologici auctor: Διακέκοπται, οἷον ἀδοκίμαστον ἐστι. Διέκοπτον γὰρ τὸ ἀδόκιμον νόμισμα οἱ παλαιοί.

V.

NVMISMA PVBLICE SIGNATVM NVLLVS VIOLATO. Non deſcalpendo, rodendo vel in orbem attondendo, quod eſt *radere*. L.8.D. de falſis. & apud Paulum.d.Tit.25.ſentent. de quo eſt peculiaris Conſtantini Imp. lex C.Theod.lib.9.Tit.22. *qui menſuram circuli exterioris in ſolido inciderit & arroſerit*. Id eſt περικόπτειν Baſilicis, & παραψαλίσαι, qui id agunt: de quibus eſt Titulus lib.60. Baſiliſ. περὶ χαραχτῶν καὶ παραψαλιστῶν. Quo crimine infamem quendam Alexandrum Logothetam ψαλίδιον ſiue *Forciculam* à Byzantinis dictitatum Procopius lib.3. de bello Goth. meminit: idemque grauiſſimè in publicam pecuniam tractantibus, ſi eius integritas deminuta ſit, improbat Theodahatus Rex apud Caſſiodorum lib.1.Epiſt.10. Non purgando, ſiue argentum ab ære ſeparando. l. 6. C.Th. & falſa mon. qua re vitiari & corrumpi monetam oportebat, quod totum genus iam inde Lege Cornelia ſeueriſſime prohibitum fuiſſe ſupra expoſuimus. Paulus d. loco: *Qui nummos adulteraverit, lauerit, conflauerit, raſerit, corruperit, vitiauerit.* C.Theod. *Si quis pecunias conflauerit &c.* L. unica. C. de auri publ. proſecutor. *Cenſemus ne quis abſque præcepto viri illuſtris Comitis ſacrarum largitionum, coquendum aurum ſumat &c.* Et ad finem eius legis, conſeruationem nimirum monetæ Principum, pertinet etiam ſequens.

VI.

NEQVE AD EXTEROS MERCANDI CAVSA

TRANSFERTO. Neque enim frugibus, vino, oleo, liquamine Barbaros instruere licebat. l. 3. & 4. C. quæ res vendi non possunt. l. 1. C. quæ res export. non deb. Multo minus armis telisque & omni ferro. l. 2. C. eod. Minimè omnium auro & pecunia. l. 2. C. de commer. & mercatorib. Et commutare quidem cum illis certis temporibus merces speciesque fas erat. l. 4. C. eod. emere non item, pecunia pro mancipiis aliisque rebus data: multo minus pecuniam ad illos vendendam deferre, vltra quam ad sumptus itineris opus sit. l. 1. C. Theod. *Si quis pecunias conflauer. vel mercandi causa trãstulerit &c.* Nostri quoque imperii lege publica argentum & aurum infectum, sed & vasa argentea præterquam deaurata, item Ducati probi, aurumq; Rhenanum signatum exportari vetatur, sub eadem pœna qua falsa pecunia. Comit. LIX. §. 77. & 84. Deput. §. 31.

VII.

PECVNIA CVM MORTVIS NE DEFODITOR. Quod est ex XII. Tabulis: *Neve aurum addito.* Quamuis non intermitterent simpliciores homines, & mulierculæ, vt apparet ex l. 14. §. impensa. D. de religios. l. vlt. §. vlt. D. de auro arg. leg. Ideo mandatis etiam Principalibus interdictum fuit, *Ne pecunia sepeliatur.* L. 4. §. non fit locus. D. ad leg. Iul. pecul. Et in Basilicis Titulus est lib. 45. Οὐκ ἔξεστι συνθάπτειν τοῖς τεθνεῶσι χρήματα. Cassiodorus lib. 4. Epist. 34. *Aedificia tegant cineres; columnæ vel marmora ornent sepulchra: talenta non teneant, qui viuendi commercia reliquerunt.* Ibidemque ait, *Culpæ genus esse inutiliter in abditis relinquere mortuorum, vnde se vita potest sustentare viuentium.*

PHI-

PHILOSOPHI VETERIS ANONYMI DE RE monetaria monitio, ad THEODOSIVM AVG. eiusque filios HONORIVM & ARCADIVM CÆSS.

De inhibenda largitate.

Bellicam laudem & gloriam triumphorum vtilitas semper imitatur ✶ *ærarij, ne profusa largitio semina magis excitet præliorum. Quæ si prouidentia Maiestatis imperatoriæ reprimatur, non amplius bellorum florebit improbitas, sed collatorum potius defecta subsidia recreabuntur. Quod si largitio immoderata seruanda profuderit, opũ delectabilitas* ✶ *nullo vetustatis more poterit iam necessitatibus subuenire. Quamobrem patrum nobis est paulisper providentia referenda, quam in rebus egenis habuerint, vel quæ nunc in tanta facultatum licentia videatur. Rectores superioris vitæ non otiosis opibus, sed*

* f. comitatur.

* f. defectibilitas.

condendis potius mœnibus lætabantur, in quorum decorem vniuerſam auri argẽtiq; materiam conferebant. Æris quoq; copiam in ſimulachris propriis ad virtutis ſuæ teſtimonia figurabant. Vt verò emendi & vẽdendi utilitas, & ut facultas regiæ largitati ſuppeteret, in æris uſum excultã politius terram & igne ſolidatam, certis quoq; expreſſionibus figuratam, auro argentoq́; repoſito uſui habuerunt. Sed poſteriores faſtidientes priſcæ vilitatis inuentum, formatos è coriis orbes auro modico ſignauerunt, quibus Regum munificentia, & commutationum neceßitas intactis collatoribus utebatur. Sequentior verò ætas æris redundãte materia, quam publicus tam mœnium recuſabat ornatus, diuturna ut prior monumenta meditata, æs validum ipſo põdere precioſius figurauit: cuius ſpecies pro qualitate (ut diximus) ponderis diuturnior fuit. Sed potentia regalis pro licentia ſpeciem ſuam tantum in auro argentoq́; ſignauit: quæ pro reuerentia figuræ nullis uſibus proficiens, ad honorem regium ſacrata permanſit. Æris autem

materia, quæ iam præ copia vilior erat, ad dona militaria & varia populorum commercia signabatur. Constantini temporibus profusa largitio aurum pro ære, quod antea magni precij habebatur, vilibus cōmerciis aßignauit. Sed huius auaritiæ origo hinc creditur emanasse. Cum enim antiquitus aurum argentumq; & lapidum pretiosorum magna vis in templis reposita, ad publicum peruenisset, cunctorum dandi habendiq́; cupiditates accendit. Et cum æris ipsius, quod Regum (vt diximus) fuerat vultu signatum, enormis jam & grauis erogatio videretur; nihilominus tamen à cæcitate quadam, ex auro quod preciosius habetur, profusior erogandi diligentia fuit. Ex hac auri copia priuatæ potentium repletæ domus, in perniciem pauperum clariores effectæ, tenuioribus videlicet violentia oppreßis. Sed afflicta paupertas, in varios scelerum conatus accensa, nullam reuerentiã juris aut pietatis affectum præ oculis habens, vindictam suam malis artibus commendauit. Nam sæpe grauißimis damnis

affecit imperia, populando agros, quietem latrocinijs persequendo, inflammando odia, & per gradus criminum fouit Tyrannos, quos ad gloriam virtutis tuæ produxit magis quàm succendit audacia. Erit igitur curæ prudentiæ tuæ, optime Imperator, repressa largitate & collatori prospicere, & in posterum nominis tui gloriã propagare. Deniq; paulisper felicium temporum reuolve memoriã, & antiquæ paupertatis famosa regna considera; quæ agros colere, & abstinere opibus norant, quæ hac honoris laude per omne æuum frugalitas incorrupta commendet. Certè Aurea nuncupamus, quæ aurum penitus non habebant.

De fraude & correctione Monetæ.

INter damna reipublicæ non ferenda, solidorum figura aliquantorum fraudibus deprauata diuersa populos ratione solicitat, & regiæ Maiestatis imaginem, dũ per monetæ culpam refutatur, imminuit.

*Ementis enim eundem ſolidum fraudulenta calliditas, & vendentis damnoſa neceſſitas, difficultatem quandam ipſis contractibus intulerunt, ne rebus poßit intereſſe ſimplicitas. Ergo huic quoq; parti Maieſtatis veſtræ eſt, vt in omnibus, adhibenda correctio: ita vt opifices monetæ redacti vndiq; in vnam inſulam congregentur, nummariis & ſolidorum vſibus profuturi: à ſocietate videlicet in perpetuum contiguæ terræ prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus opportuna, integritatem publicæ vtilitatis obfuſcet. Illic enim ſolitudine ſuffragante integra fides monetæ præſtabitur: nec erit fraudi locus, vbi nulla eſt mercis * occaſio. Verùm vt qualitas futuræ diſcußionu appareat, formas & magnitudinem tam æreæ quàm aureæ figurationis pictura prænunciante ſubieci.*

* f. commercij.

Felix inchoatio ſacræ diuinæque monetæ.

NOTÆ

NOTÆ.

Condendis mœnibus) Obſeruatu dignum eſt, vrbis Romæ mœnia mirabili magnificentia fuiſſe, & cæteris omnium vrbium nimio præſtantiora: quippe in quorum (vt hic dicitur) decorem vniuerſam auri argentique & æris materiam conferebant. *Dignitas publicorum mœnium vrbis æternæ* dicitur in L. 3. C.Th. de calc. coctor. vrb. Rom. *Pulchra mœnia* dicit Prudentius lib. I. in Symmach. Symmachus ipſe lib. x. epiſt. 34. ad Impp. hoſce Theodoſ. & Arcad. *iuſtæ inquiſitionis, qua me cultum ſpoliatorum mœnium inueſtigare iuſſiſtis*. Caſſiodorus III. Variar. epiſt. 21. ſcribit, *nullibi tantam mœnium pulchritudinem reperiri poſſe*. Idē epiſt. 29. ait, *multa in ea vrbe decora mœnium eſſe*. Et lib. VII. cap. 17. *mirabilem ſyluam mœnium Romanorum* prædicat: vbi Syluam accipere videtur pro columnarum multitudine, quomodo Sidonius in Burgo Leontij: *arctatis ſtat ſaxea ſylua columnis*. Idē Caſſiodorus in fine Chronici refert, Theodericum regem Gothorum cùm Romam aduenifſet, *admirandis mœnibus* deputaſſe per annos ſingulos maximam pecuniæ quantitatem. Apud eundem Variar. III. Epiſt. 31. Theodericus Rex iubet diligenter inquiri in fures, qui *æs & plumbum de ornatu mœnium Romæ ſuſtulerant, quæ auctores ſuos ſæculis conſecrarant*. Hiſce accedat iſte Philoſophi locus, & quod mox dicit: *æris redundante materia, quam publicus tam mœnium recuſabat ornatus*.

Simulachris proprijs) Quo nomine Ammian. Marcellinus lib. XIIII. reprehendit Romanos ſui ſæculi, quod ardenter affectarent ſtatuas, æternitati ſe poſſe

posse commendari æstimantes; *quasi plus præmii* (inquit) *ex figmentis æreis sensu carentibus adepturi, quàm ex conscientia honeste recteque factorum.* In quam sententiam est & Symmachi epistola 105. lib. IX. Quinimo, vt scribit Cassiodorus VII. Variar. c. 13. Romæ in plateis erat quidam velut *populus copiosissimus statuarum preciosarum*. Et 14. *Tot ibi statuas fuisse, vt posteritas parem populum arte dederit, quàm natura procreauerit.* adeò vt peculiares ad eas seruandas custodes, & eis præfectus Comes, fuerint deputati.

Formatos è coriis orbes) Numa Pompilius populo Romano pro congiario dedit ligneos & scorteos asses, vt Eusebius in Chronicis scribit, interprete Hieronymo. Seneca lib. V. de Benefic. cap. 14. *Aes alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedæmonios fuit, quòd vsum numeratæ pecuniæ præstat.*

Auri argentiq; in templis) Idipsum in Constantino deplorat Zosimus, Eunapius, Libanius; gratulatur Eusebius. Vnicè huc facit locus Iul. Firmici Materni, in lib. De errorib. profan. relig. ad Constantinum & Constantem: *Tollite, tollite securi, sacratissimi Imperatores, ornamenta templorum. Deos istos aut Monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria vniuersa ad vtilitatem vestram dominiumq; transferte. Post excidia templorum in maius Dei estis virtute prouecti.* Et verissimum est, quod hic Auctor scribit, post Cõstantinum Imp. auri vsum magis quã prius vnquam increbuisse. Nascentis Romæ tempore Saturnus & Ianus æneam pecuniam signauerant, æs graue in vsu erat, per æs & libram omnia gerebantur, mulctæ quoque aut in pecudibus aut in ære dicebantur. Sub Consulibus & Cæsaribus argentum potissimum terebatur,

rebatur, sestertiaria calculi ratio & denariaria in vsu: victis quoque gentibus (vt Plinius annotat) in tributo argentum imperabatur, sicuti Carthagini victę & Iudææ. At sub posterioribus principibus illis Christianis aureorum & solidorum & obryzatorum perpetua mentio crepat, omnia ad aurariam rationem redacta, tum tributa & illationes in auro, aurum coronarium: mulctæ adeo per pondo & libras auri infligebantur. Et cum veterum Cæsarum aurei perpauci appareant, horum frequentissimi inueniũtur. Quin & in posterioribus Græcorum historiis subinde legimus, aurum per centenarios dimensum & numeratum. Planè Lucretij illud dicas:

Nunc iacet as, aurum in summum successit honorem.

Repressa largitate) Eo sanè nomine huncce Theodosiũ laudat Panegyristes Latin. Pacatus: *At te voluisti incipere censuram, & impendia palatina minuendo, nec solum abundantem reiiciendo sumtum, sed vix necessarium vsurpando dimensum, quod natura difficillimum est, emendasti volentes. An quis ferret molestè, ad Principis semet modum coerceri? aut subtractum sibi doleret de priuata luxuria? cum videret Imperatorem rerum potentem, terrarum hominumque dominum, parcè contenteque viuentem, modico & castrensi cibo ieiunia longa solantem: ad hoc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem.*

Per monetæ culpam refutatur) Hoc est quod Theodosius & Valentinianus Impp. queruntur Nouella XXV. *Frequens ad nos, Quirites, temerarii ausus querela peruenit, vt in parentum nostrorum contumeliam, insigniti solidi eorum nominibus ab omni emptore recusentur: quod diu impunitum esse non patimur. Hoc ergo edicto agnoscat* vni-

vniuersitas capitale manere supplicium, si quisquam vel domini patris mei Theodosii, vel superiorum Principum solidum aureum integri ponderis refutandum esse crediderit, vel pretio minori taxauerit. Quod pertinet & L. vlt. C. de veter. numism. potest. Ait, *per monetæ culpam*, dum nimirum vendentes in nummis nescio quid subinde causantur. Quam morositatem eleganter depingit Plautus in Querulo: *Quid tam simile, quam solidus solido? Tamen etiam distantia quæritur in auro, vultus, ætas, & color, nobilitas, literatura, patria, & grauitas ad scriptulos quæritur in auro plus quàm in homine.*

Ementis solidum) id est, accipientis, siue is nummularius aut campsor sit, siue alius quiscunq; in foro vænalium. *Vendere* enim nummum dicitur, qui erogat; *emere*, qui accipit. Vlpianus in L. IX. §. I. D. ad Leg. Cornel. de fals *Ne quis nummos stanneos, plumbeos emere vendere dolo malo vellet.* Cod. Th. lib. IX. Tit XXII. *Omnes solidi vno precio æstimandi sunt atque vendendi, quamquã diuersa forma sit.* Et ibidem: *vel figuratum solidum adultera imitatione in vendendo subiecerit.* Cassiodorus VII. Variar. 32. *Pondus etiam denarius præcipimus seruari, qui olim tam penso quàm numero vendebantur.* Hinc argentarij, qui omne genus monetæ repræsentare possent, *venditores pecuniæ* dicuntur. Symmachus lib X, epist. 42. *Vendendis solidis, quos plerumque publicus vsus exposcit, collectariorum corpus obnoxium est.* Nouella Theodosij XXV. *Ne vnquam intra septem millia nummorum solidus distrahatur, emptus à collectario septem millibus ducentis.* Vt Græcis νομισματοπώλης apud Antiphonem, & νομισματοπωλικὴ apud Platonem, idem quod ἀργυραμοιβὸς & ἀργυραμοιβικὴ, cuius est καταλλάττειν καὶ κατακερματίζειν τὰ νομίσματα, iuxta Pollucem. Quod in

Theophane sæpe occurrens, totidem locis interpres Historiæ Miscellæ vertit, *Venditores pecuniæ.*

Opifices monetæ) Cælatores, fusores, malleatores. *Aurifices specierum*, *aurifices solidorum*, *sculptores*, L. VII. & ibi inserta noticia. C. de Palatin. sacrar. largit. Quorum totum corpus & schola erat, Procuratoribus & Rationalibus subditum, hominum genus cum liberis & vxoribus huic soli ministerio addictum & obnoxium. L. I. VII. XIII. C. de mutileg. monetar. Et ab aliis dignitatibus remotum. L. VI. C. de dignitat. Eorumque tantus numerus & factio erat, vt Aureliano Imper. procuratore suo Felicissimo interfecto, aduersus Principem se extulerint, vnde graue bellum motum quod vix extingui potuit, Vopisco, Eutropio, Victore, Suida auctoribus.

Commixtionis) non tantum sequioris metalli cum auro vel argento, sed etiam priuati metalli cum publico: qua in re olim non minus quàm hodie à cupidis hominibus lucrum per fraudem quæsitum, patet ex L. VI. & VII. C. Th. de fal. mone.

DE RE MONETARIA GERMANICI IMPERII,

LIBER SECVNDVS.

DE ROM. REIPVBL. DECLINANTIS MONETA: NOMINATIM DE BYZANTINIS.

CAPVT I.

DE VETERIS Imperii re monetaria diximus, dum apud Romanos rerum dominos gentemque togatam illud ſtetit: quod argumentum antea multis tractatum, & in antiquis ſcriptoribus multum adminiculi habet. Nunc de mutato Imperio, & ad Germanos translato aliquid adiiciamus; in quo nummaria res denſis tenebris inuoluta, nec aliquid ferè lucis aut ſubſidii nobis apparet. Dabimus tamen quod poſſumus.

Romæ imperio declinante, & barbaris nationibus, Gothis, Longobardis, Francis inualeſcentibus, quandiu Imperatores apud Nouam Romam reſidentes, & Exarchos ſuos apud Rauennam habentes, aliquatenus ſaltem in ſpeciem in Occidente recognoſcebantur (nã per annos illorum imperii & Indictiones tẽpora computare ipſa Roma ſolebat) eorum etiam moneta apud Byzantium cuſa, aurea præſertim, per Occidentis prouincias, Italiam dico, Galliam & Germaniam frequens

vſurpabatur. *Byzantios* & *Byzantinos* dixerunt: de quibus mox plura dicam, vbi prius eorum figuram expoſuero.

Romani enim Principes vt in cudenda moneta non minimam maieſtatis ſuæ partem poſuerunt, eiq. gloriæ ſuæ monumenta ſummo ſtudio & ambitione impreſſerunt; ita poſtquam Chriſto Domino nomina dederunt, omiſſis prioribus illis è gentilitate petitis figurarum characteribus, religionem veram etiam nummis conſecrare voluerunt. Conſtantinus M. ad fidem veram conuerſus, Crucis ſignum vt labaro, clypeoque & galeæ ſuæ, ita etiam nummis inſculpſit, Euſebio & Sozomeno auctoribus: quod inſtitutum poſteritas eius ſequuta conſtanti deuotione ſeruauit, & diuerſis modis expreſſit, vt apud Lipſium lib. III. de Cruce cap. 15. & ſeqq. & Anton. Auguſtinum Dial. I. Tab. 6. 7. videre eſt. Poſtea ipſum etiam Dominum appoſuerunt, modò Imperatori ad latus, & diadema ei ſua manu imponentem, ad exprimendum ſcilicet titulum illum, θεοςεφὴς *à Deo coronati*, quem illorum æmulatione Francos etiam vſurpaſſe legimus: modò auerſa nũmi parte, tenentem librum vitæ, cum inſcriptione: IHESVS. CHRISTVS. REX. REGNANTIVM.



Alii verò in totum omiſſa ſua imagine & titulo, Chriſtum ſolum inſculpſerunt, cum litteris: IHS- XPS- EMMA-

EMMANVEL. auerſa parte modò has litteras: IHESVS. CHRISTVS. BASILEVS. BASILEON, quod Iohanni Zimiſci Imp. Cedrenus, Scyllitzes, & Glycas tribuunt: προσέταξε καὶ ἐν τῷ νομίσματι καὶ ἐν τῷ ὀβολῷ εἰκόνα ἐγγράφεσθαι τοῦ Σωτῆρος, μὴ πρότερον τούτου γινομένου. ἐγράφοντο δὲ καὶ γράμματα ῥωμαϊστὶ ἐν θατέρῳ μέρει ὧδέ πῃ διεξιόντα: Ἰησοῦς Χριστὸς βασιλεὺς βασιλέων. τοῦτο δὲ καὶ οἱ καθεξῆς ἐτήρησαν βασιλεῖς. modò crucem quadratam, cum litteris: IHS. XPS. NIKA. quod omninò imitati Franci, ſolenne illud in ſuis aureis circa crucem floreſcentem fecerunt: CHRISTVS VINCIT, CHRISTVS REGNAT, CHRISTVS IMPERAT. Vt planè agnoſcas, quod Paulinus ad Cytherium canit:

Regemq́ Chriſtum confitentur Principes,
Et ſceptra ſubmittunt cruci:

Aliquando & Virginem Theotocon hoc honore affeciſſe, meminit Balſamon in Nomocan. Phot. Tit 11. cap.2. & nummi ipſi exhibent.



Hi ergo Byzantini illi fuerunt: quorum quidē in annalibus eorum temporum, & diplomatis, bullis, fundationibus, omniſque generis inſtrumentis & memoriis mentio frequentiſſima. Hiſtoria Florētina à Theod. de Nihem edita, in Conrado IIII. *Promittentes maximam Byzantiorum ſummam dictus Gallicus, ſi ab eadem obſidione decederent.* Ita in c. 10. De iureiur: *Quod cum V. Clericus duos Biſantios nomine Eccleſiæ de ſtatera ſe annua-*

tim soluturum firmasset. In confirmatione Henrici IIII. anno MLXXV. apud Trithemium in Chron. Hirsaug. *super hæc omnia Comes sæpedictus Apostolicum priuilegiũ adquisiuit, & constituit vt vnus aureus quem Byzantium dicimus, singulis annis Romam ad altare S. Petri ab Abbate persoluatur*. Et in ipso priuilegio Gregorii PP. quod sequitur: *data annua aurei Byzantij pensione postulauit*. Et apud eundem in bulla Vrbani PP. anno MXCV. *ad indicium perceptæ huius à Romana Ecclesia libertatis, Byzantium aureum Lateranensi palatio persolvetis*. Et in sexcentis aliis. Hi sunt quos Francogalli *Besants d'or* dixerunt: quorum mentio cum alibi multa, tum notabilis in historia S. Ludouici IX. Regis, cap. 42. *Que si la Roine vouloit bailler deux cens mille Besans d'or (qui valoyent lors cinq cens mille liures) qu'elle deliureroit le Roy en ce faisant*. Et in quadam fabella ludionis cui nomen Courte Barbe: *Tenez, ie vous donne ce Besant: c'estoit vne piece d'or valant enuiron vn Angelot*. apud Cl. Faulchet. lib. 2. de ling. Gall. cap. 86. Vide & Franc. Raguellum in Lexico, verbo, *Bezant d'or*. Nec aliunde factum puto, quod Vesontioni notæ ciuitati Maximæ Sequanorum, hodie *Bezançon*, Chrysopolis nomen, velut à chrysinis illis, ob solam soni allusionem fecerit Guntherus Poeta lib. v. Ligurini, de regno Arelatensi loquens:

Has ibi metropoles & clari nominis vrbes,
Chrysopolin placidam, Lugdunum, siue Viennam,
Quaque tuos spumante mari Prouincia fines
Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis.
Chrysopolin Dubius, reliquas prælabitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarũ.

Et libro VI.

Wascones, Hispani, seu quos Prouincia diues
Misit, & Allobrogum contingens Gallia fines,
Chrysopolin celeres aderunt.

Et hæc de Byzantinis dicta sint, aureis nimirum illis siue obryzatis. De reliquis enim Græcorum argenteis & æneis, Miliaresiis, Ceratiis, Diceratis, Hyperperis, Scaramangis, alibi fusiùs (Deo dante) exponemus.

VETERVM FRANCORVM GOTHORVMQVE MONETAE, Denarii, *Solidi*; *Libræ*, *Fertones*.

Capvt II.

NON tamen interea Franci qui Gallias & Germaniam tenebant, Gothi qui Italiam & Hispaniam, monetas nullas vernaculas habuerunt. De Francis nominatim scribit Procopius lib.3.de bello Goth. Francorum Reges ipso Iustiniano Imp. volente Galliam tenẽtes, Massiliæ & Arelati residentes, aureum nummum natiuo è Galliarum metallo cudisse, non Imperatoris Romani, vt cæteri solent, sed sua imagine impressa: quod nec Persarum nec aliorum Barbarorum Principi fas fuerit. Et vidi ipse aureolos eius generis, cum inscriptione CHARIBERTVS REX, quamuis rarissimos. Gothos autem Reges monetam suo vultu & nomine signasse, dubium esse non potest ex Casiodori formulis, lib.VI.cap.7.& lib.VII.cap.32.quamuis nullam mihi videre hactenus contigit. Wisigothorũ quoque Regum, qui Hispaniam & Aquitaniæ partem tenuerunt, nummos multos indicat & exponit Anton. Augustinus Dialogo VI. VII. & VIII. Sed omnibus his tamen augustiores & frequentiores puto fuisse Byzantios illis, de quibus diximus: etiam cum Cæsarum Constantinopolitanorum auctoritas apud Romanos imminuta esset & penè euiluisset; ex eorum decremẽto Pon-

to Pontificibus suam potentiam stabilientibus. Nominatim autem Leonem III. Iconomachum dictũ, quod picturas Synodicas & Sanctorum statuas imaginesq; è templis erasisset, Constantinus Papa eo nomine hæreseos condemnauerat, & cum populo Romano statuerat; *Ne nomen Imperatoris hæretici aut in chartas, aut in figuram solidi seu numismatis susciperetur*: vnde nec effigies eius pro more in Ecclesiam introducta, nec nomen ad missarum solennia prolatum fuit, vt scribit Paulus Diaconus VI. Longobard. cap. 31. Anastasius Bibliothecarius, Ado, Beda, Platina, Nihemius, Massonus. Nihilominus tamen Byzantiorum vsus (vt paulo ante expositũ) apud Germanos Francosque diu permansit.

Sanè ex quo ad Francos summa rerum peruenit, deletis non tantum Gothis & Longobardis, sed etiam Græcis Latio omnique Hesperia exclusis, nihil ex omni illorum republica minus notum est quàm rei nummariæ ratio: propterea quod ex illorum nummis tam parum, imo nihil fere hoc æuo superfit. Habeo Caroli Ludouici, Hlotharij Arnulfi quosdam argenteolos: sed quid fuerint aut valuerint, liquidò statuere non possum. In Carolinis legibus, diplomatis, Librarum & Solidorum perpetua est mentio: & vt Romani ad sestertios, ita hi ad solidos in negociis, comerciis, mulctis indicendis, omnia redegisse videntur. Et Libram quidem per viginti solidos computatam, Annales Francorum Fuldenses sub Anno 882. expresè testantur: Solidum autem quadraginta denarios continuisse cum ex Legibus Salicis, Alemanicis, Baioariis, Ripuariisque colligi manifestè potest, tum verò ex insigni loco Hincmari Archiepisc. Remens. quem Fr. Pithœus V. C. prodidit: *In testamento à B. Remigio condito Lector attendat, quia Solidorum quantitas numero quadraginta denariorum*

riorum computatur, sicut tunc solidi habebantur, & in Francorum lege Salica continetur. Et generaliter in solutione vsque ad tempora Karoli perdurauit, velut in eius capitulis continetur. Vnde solidos aurei genus fuisse conjicio, quomodo & apud Romanos, quod quadraginta ex illis denariis argenteis contineret. Inde apud Francos olim in contractibus, sponsalibus, libertatibus rite faciendis, mos offerre Solidum & Denarium. Fredegarius lib. IIII. cap. 18. *Legato offerens solidum & denarium, vt mos erat Francorum, eam partibus Chlodouei desponsant.* Et Solidorum Gallicorum aliquoties habetur etiam in Gregorij M. Epistolis mentio.

Apud Germanos superioribus æuis Marcarum ratio in vsu fuit, vt omnia per marcas (argenti potissimum) computarentur: quod in Annalibus, Legibus, instrumentis omne genus apparet. Et Marca rursum in partes suas, vt olim As, diuidebatur. Ex quibus Fertones apparet quadrantem marcæ esse; vt legimus in Guntheri Parisiensis historia occupatæ à Balduino Constātinopoleos, vbi ita scribit: *Habebant* MDC. *piscatorias naues, quarum qualibet per totum annum ad quatuordecim dies Fisco Regio persoluebat nummum aureum, qui perperam vocari solet Ferdoni, id est quartæ parti Marcæ vnius æquiualens.* Ita in Aurea Bulla Caroli IIII. Imp. §. vlt. *Sexagintasex marcas cum vno Fertone.* Et posteà; *sigillatori vnum Fertonem*, Teutonicum exemplar habet, Einen fierling. Iidem FARTI dicuntur in Innocentij decretali, cap. 2. De sentent. & re iudic. in 6. *Posset etiam meritò reprehendi, quod mille quidem Fartorum annuam pensionem, in qua pro eodem Regno ipsi Ecclesia Romana tenetur, per nouem annos & amplius soluere prætermisit.* Vierding.

VARIÆ VARIARVM GENTIVM MONETÆ ENVMERATÆ: NOMINA-*tim de Florenis, Ducatis, Taleris.*

CAPVT III.

IAM vt quæque Regna, regiones, principatus, respublicæ, ciuitates, suo sibi arbitrio monetas fabrefecerint, quæ à loco pleræque nomina sortitæ, longum fuerit enumerare; pro æuo autem singularum aut dignitate locorum disponere, prorsus impossibile. Nos in ea rerum temporumque confusione & rei ipsius obscuritate, si quæ præcipua legendo obseruauimus Monetarum genera, literario ordine effundamus potius quàm enumeremus, abundè Lectori gratificatum putabimus. Ergo sinum pande.

AMIRCVS, aureus numus Persicus, cuius meminit Benjamin Tudelensis Itinerario pag. 82.

ASPERI Turcorum sunt & modernorum Græcorum, de quibus Leunclaius Pandect. Turc. cap. 18. Asperi quinquaginta coronatum constituunt, vt Busbequius scribit. Sed & apud Africanos Asperi in vsu, quorum CLXX. vnciam vnam pendent, quadrata forma, cudentibus Iudæis, vt Leo Africanus scribit lib. 2. cap. de Tednesta.

BERNA, solidus vel denarius veterum Alemanorum, cuius mentionem inuenio in Ordinatione B. Adelheidis Cæsarissæ, fundatricis Abbatiæ Salsensis, de villa Kilberg: *Item ordinauit, quod in festo B. Andreæ Apostoli dicti Officiales, Sculteus, Cellerarius & Banwardus, Domino Abbati duos debeant emere porcos bonos, ad quoddam conuiuium faciendum, vbi dimidia*

Berna debebat expendi; & ad illud quod vulgò dicitur Vasgnat, vbi vna Berna & dimidia debebat expendi. Sed illa die qua conuiuium fieret, omnes debentes ius quod dicitur Wisungen, scapulas & vinum debebant dare & soluere plenariè, dato super his bona pignora vel denariis numeratis. Hanc Bernam communem fuiſſe monetam villæ Bernæ, in aliis locis eiuſdem libri, vnde hæc exſcripſi, inuenio. A qua veriſimile eſt nomen etiam deinceps ſumſiſſe collectam & contributionem publicam (fortaſſe in ſingula capita vnam Bernam exigentem) cuius mentio in Chronica Aulæ Regiæ (*Königs ſaal hodie*) apud Bohemos, à nobis edita, cap. XXVII. *Interea Rex exercitum congregat, & ad bella ſe coaptat; generalem Steuram quæ Berna dicitur, ab omnibus recipit, & ſuper hoc exactiones clauſtralibus & ciuitatibus grauiſſimas imponit.* Æneas Syluius Hiſtor. Bohe. cap. LVIII. *Niſi populares in ſumtus regios pecuniam conferant, quam vocant Bernam.* M. Albertus Argentinenſ. ſub Anno MCCCCXLVIII. *Collecta inibi impoſita, quæ Vrſus dicitur, & de nouo Regi creato debita apud Bohemos permanſit.* Fabricius Orig. Saxon. lib. VI. fol. 663. *Balthaſar Landgrauius Thuringiæ imperauit in ſingula capita nummum argenteum, quem theſaurum collectum Vrſum vulgò appellarunt.*

BATZIONES poſterior ætas dixit, à Bernenſibus cum Vrſi primùm ſigno introductos, quorum tota Germania jam plurimus vſus, cum quintadecima pars ſint floreni, per quos in Alemania & Sueuia omnia computantur, vt in Saxonia per Groſſos.

CABALLVCII, æneoli Neapolitani infimi generis, in quîs equus ſculptus, cum literis EQVITAS, quod alicubi ridet Ant. Auguſtinus.

F 2

CORONATI, qui & *Scutati*, regni Franciæ Gallicæ moneta aurea. *Solares* dicti à Solido, non (vt vulgò) à Sole, vt vult Bodin. de Republ. lib. 3. cap. 6. & lib. Sing. de augmen. & decrem. monet. Quod mihi omnino probatur, qui videam post Romanos Francis solidorũ pro aureis mentionem frequentissimè vsurpatam, vt supra attigimus. Ita Gregorius I. Pontifex epistola quadam ad Dynamium *Gallicorum Solidorum* meminit: & alia ad Fantinum, vbi C L. *solidorum graue nomen habetur*: & Candido ad regendum Ecclesiæ patrimonium in Galliam misso mandat, *vt solidos Galliarum, qui in Italia expendi non possunt, vtiliter expendat in alimenta & vestes pauperum*. Mansit igitur in his nomen, *Escu Sol*, apud Francogallos (quamuis non nesciam etiam semiargenteos illos minores *Souls* apud eos dici) vt Ducatos etiam Hungaricos legimus *Solidos Regales* dictos. c. vlt De rerum permut. Et in Gallicis illis ab omni antiquitate video insculptum illud, quod adhuc vsurpari videmus: CHRS. VINCIT. CHRS. REGNAT. planè ad imitationem Græcorum illius, IHC. XPC. NIKA. de quo supra in Byzantinis.

DVCATI, aurei à Venetis primo & Genuensibus percussi. Sed & ab Anglis, vt Polydor. Vergilius scribit. Cui tamen nescio quid in mente fuerit, cum alio loco scriberet, Ducatum quod Romæ cuderetur, dictum à ducatu, quem magistratum Longinus primum constituisset, à Iustino Imp. Narseti Italiæ præfecto successor datus: lib. 2. de inuentor. rer. cap. 21. Inter hos autem insignes maximè Hungarici, qui κατ' ἐξοχὴν *Solidi Regales* dicuntur in c. vlt. De rer. permut.

FARTI, *Fertones*, quadrantales, vt modo expositum. Tantum addam locum ex Iagellonis Regis Poloniæ:

niæ constitutione Petricoriensi Anno 1451. *nisi forte aliquis de iure pro censibus & decimis fertonalibus debeat exigere latos grossos monetæ Pragensis*, Statut. fol. 290.

FLORENTINI, aurei primùm in ea vrbe cusi, cũ signo floris lilij vna, altera parte Iohannis Baptistæ; deinde ad eorum imitationem ab aliis, vt frequentissimè in contractibus vsurpati sint, *Florentzer Gulden*. Nec aliunde FLORENI nomen natum existimo. Quo facit locus lib. 2. Extrauagant. commun. Tit. 12. *Nonnullos esse in Lombardiæ superioris & Marchia Ianuensis partibus, qui præsumentes illicita cudunt & fabricant Florenos auri, secundum formam & signum, iconium ac circumferentias litterarum, qui in ciuitate Florentiæ cudi sunt soliti, &c.* Hi ergo vt olim erant frequentissimi, ita hodie cum rarissimi reperiantur, in quæstione reluitionis à Cameræ Imperialis iudicio Spiræ taxati sunt XXV. batzijs, vt annotauit D. Mynsinger. Centur. 4. Obseruat. cap. 1.

FRANCI aurei primum sunt cusi, vt Bodinus notauit: hodie argentei, trientes coronatorum, viginti solidos continentes. Sed & olim duplices, *Francs à pied*, *Francs à cheual*.

GROSSI monetæ vsualis genus apud Saxones, Silesios, Borussos, Polonos, Bohemos: nobis semis batzionis. Grossorum mentio etiam in Extrauag. De empt. & vendit. & Polydorus Vrbinas veteres denarios Romanos & drachmas Atticas Grossis pondere æquos scribit lib. 2. de Inuent. cap. 4. Sed & *Grossorum Turonensium* meminit constitutio Iohannis XXII. Extrauag. 13. & adhuc in Gallia frequentes in vsu, *Gros Tournois*.

HALLENSES, minutissimæ monetæ vsualis genus, apud Hallam Sueuiæ primò signatum. Olim & nunc in vsu *Libræ Hallenses*.

IOACHIMICI Taleri, de quibus infrà. Suaues au-

tem Galli, qui *Iocondales* ſcribunt.

Leones aurei in Belgio noti.

Lvcenses, moneta ærea vſualis, cuius mentio in c.20. De cenſib.

Maravedinvs Hiſpanicus nummus, cuius mentio in c.14. De priuileg. *duo millia Marabatinorum.* de quo multa Didacus Couarruuias in collat. veter. numiſm. cum hodiernis. Beniaminus in Itinerario pag.82. *Morabetinum* ſcribit.

Medaliæ numi neſcio quod genus, cuius mentio in d.c.20. De cenſib. Ita quidem numiſmata vetera hodie Italis vocantur, *Medaglie ordinarie, col cerchio, Medaglioni.*

Medinvs Africanus numus, de quo ibidem Bodin. Gallis *Medin de Barbarie.*

Milaresios idem ibidem nominat, vulgò *Milrais*, Portugallicos aureos cruce oblonga inſignitos. Neſcio an non à Miliariſiis Græcorum nomine retẽto.

Pagatini æneoli Venetorum, infimum pecuniæ genus, à ſoluendo dicti, quod paratiſsimi ad mercenariam operam vel res leuiſsimas compenſandas.

Papienses argentei, tribus Lucenſibus olim æſtimati. De quibus in c.20. De cenſib.

Philippei taleri, à Philippo Caroli V. Imp. F. potentiſsimo Rege Hiſpaniæ & Indiæ cuſi, qui & *κατ' ἐξοχὴν Regales* taleri dicuntur: non minus hodie celebres, quam olim *regale numiſma Philippi.*

Pistoleti, coronati aurei Italici, Hiſpanici, Sabaudici, Burgundici, Heluetici.

Polomæi numi mentio eſt d. Extrauag. De empt. & vendit. *vendidit annuos cenſus vnius vel plurium marcarum, aut groſſorum Pragenſium, numi Polomai & pagameni*

menti consueti. Puto accipiendum, *Empolæi*, id est forensis & consueti.

REGALES Hispanici argentei.

RHENENSES Floreni, à quatuor Electoribus ad Rhenum, Moguntino, Treuerico, Coloniensi, Palatino primùm percusi: de quibus mox plura.

RIDEVS coronatus Burgundicus, Bodino Gall. *Riddes*, nobis *Ryder*, ab equite cataphracto impresso.

ROMANINI moneta vsualis, pro quo, dum Curia residebat Auenione, grossus Turonensis succedebat, ex constitutione Iohannis XXII. PP. Extrauag. 13. Sic dicti, vt Byzantini, Sultanini, Pagatini.

SCHILLINGVS numus Germanorum, à Siliqua nomine detorto, vt videtur. Ita enim antiquitus scribebatur, SILIHHA, vt video in vetustissimo Glossario Latino-Theotisco: *Numisma*, Silihha. *Numi percussa*, Silihha duruhslagen/das ist pfantinc. In eodem alio loco: *Obolum dimidium scripuli, quod facit siliquas tres.* Stucht halb scriptolus/daz tot silihhun tri. Et rursus: *Stater est nummus, vt quidam affirmant, vnciam vnam, aureos sex.* Wagâ ist silihhono / so sume Zafastinot / vnce ainan / scillinga schsi. Siliquæ enim & Sicilici vox à Romanis in re monetaria vsurpata, pro vnciæ quarta parte; vt L. 21. §. filium. D. de ann. legat. Auth. sed hodie. C. de Episc. & cler. Auth. ad hæc. C. de vsur. ad Longobardos etiam peruenit: vt L. 2. & 3. Tit. *De eo qui pecul. in dam. inuen.* & aliis locis.

SCVTATI, qui & *Coronati*, de quibus supra.

STERLINGI, in Anglia, Scotia, & Hibernia.

SVLTANINI aurei Imperatorii Turcici.

TALENSES vel TALERI, argentei vnciales dicti à valle Ioachimica, vbi primum cusi per Slicones

Comites

Comites (vt Georgius Agricola lib. II. de ponder. & mensur. notauit) in Bohemia circa annum 1520. qui adhuc non infrequentes apparent, vna parte Ioachimũ Abbatem, & insignia Slickensia præferentes, cum literis: AR. DOMI. SLI. STE. ET. FRA. COM. D.B. altera leonem Bohemicum, cum literis: LVDOVICVS. PRIM. D. GRACIA. R. BO. Quos deinde Saxonum Duces in Misena, & alii Principes atque etiam Reges sunt imitati.

TARENI Siculorum moneta & Apulorum: cuius mentio in c. 5. De empt. & vendit. vbi Cuiac.

TESTONES siue capitati Gallorum, à vultu Regum impresso. Bodin. d. loco.

TVRONENSES argentei: Clement. 2. lib. 5. Tit. 1. & Extrauag. 13. in teloniis Rhenensib. *Turnes*.

DE TVRCICIS monetis, Manguris, Aspris, Siderocapsiis, Hyperpyris, Dramis, Scachis, Sultaninis, Seraphinis, Altumleriis, doctè & eleganter Leunclauius noster Pandect. Turc. cap. 18. quo Lectorem remittere quam singula frustillatim hic infercire malui.

Ex his monetarum generibus Florentinorum maximè institutum Principibus Germaniæ arrisit, adeò vt ad eorum imitationem aureos suis nominibus pleriq; & ipsi cuderent. Itaque videre licet id genus aureos diuersis inscriptionibus, vna quidem parte florem lilii habentes, altera vero Principis sui. LVDOVICVS REX. KAROLVS REX. ROPERTVS DVX. LVPOLDVS VIEN. 5. Item WENCESL. DVX. P. (id est *Plocensis*) Itẽ GERL. AREPS. WILEL. ARHEPVS. BOEMVDVS AREPS. & similium. Adeo vt frequentissimus horum in veterum contractibus fuerit vsus, & mentio

mentio in antiquis instrumentis perfrequens, *Florētzer Gulden*: nec aliunde FLORENI nomen natum. Qui tamen paulatim degenerarūt in Florenos Rhenenses, ita dictos à quatuor Principibus Electoribus ad Rhenum, Moguntino, Treuerensi, Coloniensi, Palatino; & à cęteris deinde etiam vsurpatos, paulo sequiores primis illis Florentinis, Ducatorum bonitatem omnino adæquantibus. Donec tandem Floreni & Aurei etiam ex argento facti, tunc quidem aureis Rhenensibus pares, hodie multo inferiores. Et quia ineundis & miscendis inter populos & nationes commerciis nihil aptius commodiusque, quàm eiusdem generis & nominis moneta; cum Ducatos (Venetorū & Genuensium primò institutum) cæteri quoque Reges Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ, Sueciæ, Angliæ, Hispaniç imitarentur; Germani quoque Cæsares & Principes, velut in medio illorum collocati, fecerunt: quo de genere Karoli IIII. Imp. & Bohemiæ Regis ducati adhuc apparent, & deinceps Maximiliani primi, anno 1517. & 1518. cusi, cum titulo: DVCATVS CARENTANVS. Vt vicissim Taleros, quos primum Slicones Comites in Valle Ioachimica cum Bohemicæ Regum nomine procudisse diximus, primum Principes Germaniæ plerique, deinde alij etiam vicini Reges, Sueciæ, Daniæ, Poloniæ, Hungariæ, commerciorum inter subditos populos iuuandorum gratia, sunt secuti. Quo de genere talerus extat, quem SIGISMVNDVS I. REX POLON. ET SIGISM. AVGVSTVS SECVND. REX POL. anno 1533. & alius quem WLADISLAVS D. G. REX. VNGARIE additis nominibus ciuitatum TVRSO & KREMIZ anno 1560. publicarunt. Quamuis antiquiores etiam Ioachimicis in hoc genere, sed minus frequentes, videamus ali-

quos: vt quem MAXIMILIANVS I. MAGNANIMVS. ARCHIDVX. AVSTRIE. BVRGVND. ET MARIA. KAROLI. FILIA. HERES. BVRGVND. BRAB, CONIVGES. anno 1479. item quos SIGISMVNDVS. ARCHIDVX. AVSTRIE anno 1486. nominis æternandi ergo formari iusserunt.

HODIERNÆ ROMANI IMPERII APVD GERMANOS LEGES *Nummariæ.*

CAPVT IIII.

IGITVR cum in imperio iamdudum res monetaria, singulis Principibus vel Ordinibus suo sibi arbitrio modò horum modò illorum imitatione nūmos procudentibus, mirum in modum fluctuaret; rei in Republica maximè necessariæ legem & normam dari tādem necesse visum est. Atque ita in Comitiis primum Augustanis Anno M D. imperante Maximiliano omnes omnium monetæ hactenus sine lege modoque vagantes, inhibitæ & suspensæ fuerunt, donec noua lex promulgaretur. Quod cum diuersis postea in Comitiis apud Treuiros, Coloniā, Noribergā, Spiram, Augustam, Ratisbonam, tentatum magis quàm inchoatum esset: sub Carolo tandem V. maximo & felicissimo Imperatore in Comitiis Augustæ Vind. Anno MDLI. habitis communi Ordinum consensu ad certam perpetuamq; formam redactum, & sequutis deinceps per annos LIX. LXVI. LXX. LXXI. LXXVI. XCIIII. XCVIII. Comitiis declaratum, confirmatumq; fuit: vtinam tam facile fideque obseruandum, quàm clarè & diffusè verbis formulisque perscriptum. Eius legis Monetariæ capita

capita præcipua breuiter digerere, vt in veteri Romana lege fecimus, operæpretium fuerit.

I.

IVS CVDENDÆ MONETÆ NISI CVI AB IMP. CONCESSVM FVERIT, NEQ ALITER QVAM SECVNDVM LEGEM NEMO VSVRPATO. Vt enim ſtante Rep. Romana nonniſi apud Principem & Senatum facultas monetæ fuit; ita in Germano quoque imperio inter ea habita, quæ *Regalia* vocātur, quod ſoli Principi competerent, vel cui Princeps ea indulſiſſet. Lib. II. Feud. Tit. 56. *Quæ ſint regalia*. Guntherus lib. VIII. *Cudendæ jura monetæ*. Itaque Regi Bohemiæ ceu principi Imperij ius monetæ nominatim confirmari legimus Aureæ Bullæ cap. X. Et diuerſa veterum Cæſarum diplomata videmus, quibus illis & illis, Comitibus, Abbatibus, Prælatis, Ciuitatibus, ius percutiendæ monetæ conceditur. Iam verò quibus id ipſum priuilegii competit, nonniſi certà lege & modo vti debent. Nec enim vbiuis, ſed tribus duntaxat vel quatuor locis à Circulo, cui adſcripti, deſignatis, monetam facient: exceptis his qui proprias in ſuo ſolo habent metallifodinas, aut officinas monetarias antiquitus inſtitutas. Iis aurum argentumque penes ſe natum duntaxat liberè in nummos conuertent. Comit. LXX. §. 135. & Deput. LXXI. §. 28. Deinde ipſi vti debent ſuo ſumtu & opera: nec fas eſt ius monetarium alteri cedere, vendere, locare, aut monetariis redimendum transſcribere: contra facientibus iuris eius priuatio, Fiſcali ſedulo obſeruante, impendet. Conductores autem X. marcis auri multantur. Comit. LIX. §. 86. & 88. Comit. XCIIII. §. 110.

II.

FORMAS NVMMORVM AVRI ARGEN-

TIVE DVNTAXAT RECEPTAS, EASQVE PROBAS FERIVNTO. Sunt autem hæ formæ in Imperio nostro (quod hac quidem in parte monetarum specie & amplitudine veteri Romano etiam antecellit) probatæ, hisque legibus. DVCATI è Coloniensi marca auri puri LXVII. cudantur, CIIII. cruciferos valituri. AVREI RHENENSES LXXII. cruciferos LXXV. valituri. Comit. LIX. § 55. & seqq. Exterorum regum & Principum Coronati, Scutati, Nobiles, Engeloti, sua quidem æstimatione definitâ permissi sunt; in Imperio tamen ne cudantur. Ibid §. 61. & Deputat. LXXI. §. 49. TALERI Ioachimici olim cusi LXVIII. cruciatis taxantur. Comit. LIX. §. 35. Deinde ita recepti sunt, vt marcæ Coloniensis argenti puri octauam pendant, eorumque semisses etiam & quadrantes cudere liceat. Comit. LXVI. §. 157. FLORENI ex marca IX. cum semisse fiant, LX. cruciferos valituri: semisses eorum, quadrantes, sextantes pro rata valeant. Nota eorum, hinc Cæsaris nomen & Aquila biceps, insertum pectori Imperii globum habens, globo numerum cruciatorum inscriptum; inde nomen & insignia Domini monetalis. Comit LIX. §. 3. 10. CRVCIATI ipsi valent: sed horum quinarij, ternarij, binarij, donec aliud statuatur, districtè sunt prohibiti. Comit. LXVI. §. 160. & XCVIII. §. 56. PFENNINGI & Hallenses ad necessarium fori & annonæ vsum permittũtur, cum Circulorum moderatione, non vltra: aliàs confiscandi. Comit. LIX. §. 12. & LXX. §. 127. & 129. Quod genus in dissolutionem maioris summæ accipere nemo tenetur: vt neç quinarijs minores vltra summã XXV. florenorum Comit. LIX. § 11. & 32. & LXXVI. §. 77. Extra has igitur formas nullæ aliæ procudantur, aut solutionis vice fungantur, sub pœna indignationis

Cæsareæ

Cæſareæ & L marcarum auri, partim fiſco, partim Circulo inferenda. Com. LIX. § 6. Et has ipſas pondere & bonitate probas monetarij dare ſtudento. Qua cauſa & ipſi, & docimaſtæ, non ſolum Domino cui operam ſuā locauerint, ſed & toti Circulo (cuius inquiſitione prius approbantur) iuramento in leges nummarias obſtringuntur, cum cautione omnium bonorum, & repromiſſione ſe quoties exigentur ſiſtendi. Comit. LXX §. 136. & XCIIII. §. 110. in fine. Falſarii autem, nummorum adulteratores, corruptoreſve, pro grauitate admiſſi, mulctis, confiſcatione, proſcriptione, corporali pœna, ignis denique ſupplicio acerrimè puniuntur: accuſatione populo data, & Fiſcali inuigilante. Comit. LIX. § 72. & ſeqq. & XCIIII. §. 110. Denique legum violatores præter ceteras pœnas, & amiſſionem iuris ſui, proſcriptionem ipſo iure incurrunt, executione Circulis demandata. Com. LXVI §. 31.

III.

HIS LEGIBVS SERVANDIS CONVENTVS SEMESTRES ET EXAMINA ACCVRATE HABENTOR. Domini monetales per ſingulos Circulos bis quotannis conueniant, aut conſilia ios mittant, Kal. Maij & Octobris: & cuſos iis locis nummos à ſe alliſue exhibeant, inſpiciant; adhibito Zygoſtate, per libram, coticulam, caminum, ad ſcriptulos examinent. Comit. LIX. § 69 Comit. LXVI. §. 177. & LXX. § 140 & ſeq. Iure monetæ abutentes, legum negligentes, Magiſtratus fraudum vel participes vel remiſſos v'tores ad Fiſcalem deferant. Com. LXVI. §. 175. Inſuper Electores quatuor Rhenani mercatibus Francofurtenſibus, Senatus oppidani adiumento, ne quid in edictum committatur, prouidere iubentur: idemque Saxo & Brandeburgicus ſuis emporiis facere: adeoque Cæſari in

propriis & Imperij ciuitatibus ea res curæ erit. Comit. LXX,§.150.& seq.

DE PRÆVARICATIONE HARVM LEGVM, PRÆCIPVE IN MINVTA PEcunia vsuali. *Caussa fluctuantis rei monetariæ detecta, & remedium vnicum.*

CAPVT V.

HÆ sunt hodiernæ Imperij nostri leges Nummariæ, vtinam tam sanctè integreque ab omnibus seruatę, quàm bono consilio & ad ipsam iusti æquiq; amussim excogitatæ. Cum enim in diuersa harum capita diuersis modis peccatur (quod quidem ab omni æuo legibus Nummariis fatum fuisse obseruare licet, vitio humani ingenii ad captanda vndecunque compendia procliuis, & in re præsertim Pecuniæ, quæ veluti finis omnium rerum vulgi opinione habetur, ingeniosi, tum in illud potissimum velut effusis habenis licentiosissimè, quod minutā & vsualem monetam vt minimè ad legis prę scriptum, ita maxima copia sine fine modoq; passim procudi videmus. Vsualem monetam pro omnis generis annona & foro rerum vænalium, atque etiam ad expediendas calculi excurrentis minutias necessariam; quo & propter exilitatem minutissimæ particulæ argenti cerni contrectarique posset, & vsu quotidiano minus contereretur, æris parte remixta fieri apud nos & plerasque gentes obtinuit: quamuis forte melius esset, veterum Romanorum Græcorumque, & hodierno Venetorum exemplo, puram vel ex argento vel ære fieri, vt bene viri docti disputant. * Nam pro obsonatione mercium macelli & fori holitorii, Romani se-

*Bodi. Lib. sing.

ster-

ſtertios, aſſes, dupondios, ſeſquiaſſes, ſemiſſes, quadrantes, beſſes, octuſſes, ſeſcunces, teruncios, merè æneos omnes; Græcè obolos, ſtateres, folles, alioſq; χαλκέας & κέρματα habebant. Vt de ruſtico ex vrbe domum reuerſo Vergilius dicat:

Venales holerum faſces portabat in vrbem:
Inde domum ceruice leuis, grauis are redibat.

Et alibi:

Nonnumquam grauis ære domum mihi dextra redibat.

Quamuis non neſciam poſterioribus Principibus & Imperio declinante pecuniam minorem argenteam æris parte remixta in vſu fuiſſe, quam *Maiorinam* vocabant, vt diſcimus ex L. VI. C. Th. de falſa moneta. Ex hoc genere mixtorum, ſemiargenteorũ, aut potius ſemiæreorum ſunt noſtri halleri, pfenningi, cruciferi, ſemibaziones, tricruciati, groſſi, albi. Quorum ad neceſſarium fori & quotidianum vſum (maiores enim merces ſolidis integriſque aureis & argenteis penſari iuſtum eſt) cum moderatè pro qualibet regione conficere ſingulis Ordinibus lege conceſſum eſſet; monetarij qui eam fabricam non ſine aliquo compendio eſſe videbant, & fraudem in eo genere admiſſam minus facile aut obſeruari, aut in tantilla re curari: præſentem lucri faciendi occaſionem auidè amplexi, toti in rauduſcula illa procudenda incumbere iamdudum cœperunt, & impigrè pergunt. Quotidie plures nummulos paſſim ceu pullulantes & fruticantes vberrimè increbeſcere videmus: quotidie deteriores & dilutiores. Adeò vt deperditis ferè & exoleſcentibus bonæ notæ Taleris veteribus, & rareſcentibus etiã hodiernis, quos peſſimo more monetarii in fabricam illam abſumunt; vtatur iam Germania pleraque (vt Ariſtophanis Comici verbis vtar) τούτοις τοῖς πονηροῖς χαλκίοις χθές

τε καὶ πρώτῳ κοπεῖσι τῷ κακίστῳ κόμματι. Neque amplius locus futurus ſit Plautino verbo, *nequiores quàm nummi noui*: quando nihil hiſce nequius ſupererit.

Et miramur, ſi aureæ argenteæque monetæ valor in prima indicatura ſua non ſubſiſtit, ſed excedit dudũ, & quotidie magis magiſque intenditur. Quod non alia cauſa quàm ex vſualis monetæ deprauatione contingit, & contingere neceſſe eſt, & mirarer non contingere. Cum enim maiores ſolideque monetæ non aliter quàm per minores æſtimationem & indicaturam ſuam accipiant: ſolidi per denarios, denarij per aſſes, Taleri & floreni per baziones, groſſos, ſchillingos, albos; & omninò (vt Voluſius Mætianus IC. in lib. *de Aſſe* ſcribit) omnis nummus argenteus ex numero æris poteſtatem accipiat; Adeoque, vt verè Auſonius dixit:

*Auri magnus honos, auri precium tamen eſt æs.**

*add. L. Etiam aureos. 19. D. de verb. ſignif.

neceſſe eſt, vt pecuniarum indicatura ſtabilis eſſe poſſit, proportionem quandam eſſe eius æris ad aurum argentumque, non tantum pro metalli precio, quod per ſe vile & magis corruptibile nonniſi parciſſimè argento permiſceri debet; ſed etiam pro vſu vtriuſque & inſtituto: quandoquidem minutiores illi nummi nõ ad colligendas opes (quis enim Euclio tales pro theſauro aceruare & ſeruare velit?) ſed tantum ad res præſenti neceſſitate emendas, eaſque minores, ſint comparati, & in vna tantum regione fungibiles; ideoque minori eorum numero reſpublica opus habeat. Quæ proportio ſi violetur, vt ærei vel minores, leuioreſue aut inquinatiores fiant, aut nimis frequentes, adeo vt etiam in grandioribus ſummis paſſim obtrudantur; tum vero formas ſolidas, vtut earum indicatura ex prima lege & origine fuerit conſtituta & ſancita, & paulatim à communi vſu hominum, & ob euidentem bonitatis differentiam,

rentiam, precii incrementum accipere, vt plures ex minoribus illis contineant & adæquent, non tantum non mirum, sed omnino necessarium, imò iustum ęquumque fit: non minus equidem, quàm cum pro nummo argenteo plura parua & semiputria quàm magna & recentia poma comparantur. Quod cum ita contingit, quantumcumque tandem incommodum Reipublicæ afferre videatur, improbari tamen facilius & deplorari quàm mutari aut inhiberi potest. Nã & consensus voluntarius contrahentium interuenit, vt volenti nulla iniqua conditio allata, aut præter fas obtrusum aliquid dici possit; quando etiam iuri publico per pacta & consensum derogari nihil vetat: & consuetudo peruulgata, quæ aliàs Tyranni instar habere dicitur, & iuri scripto derogare imò ipsa ius facere perhibetur, hoc casu eo placidiorem speciem habet, quod præter libertatem commerciorum (quandoquidem tanti res quæque censetur, quanti emtorem inuenit) etiam æqualitatem in accipiendo & erogando vltrò citròque tacito quodam cõsensu populi inducit, idemque Caio quod Seio, principibus quod priuatis concedit. Quin & (ne quid dissimulem) nulla omnino per eiusmodi monetæ dignationem aut Principibus aut legibus fieri iniuria videtur: nimirum quibus id tantum caueri videmus, ne eorũ nomine & figurâ insignita pecunia aut refutetur, aut infra indicaturam suam accipiatur: vt L.1.& vlt. C. de veter. num. potest. Nouella Theodosii XXV. nusquã verò, ne supra: quod etiam ipsorum nec honori nec commodis (si verum amamus) aduersari noscitur.

Et hoc ita habere, si non ipsa quam dixi ratio & sensus communis dictaret, & experientia clamaret, exemplis omnis æui cõprobare facile esset. sed pauca sufficiãt. Quid enim causæ fuit, quod Denarius apud Romanos,

argenteus drachmali pondere, pro ipſo nomine decem aſſibus factus, paulatim ad duodecim, tandemque ad ſedecim aſſes aſcenderit? Plinium vide libro XXXIII. cap. 3. Itaque non mirum, milites legionis Pannonicæ ſub initia Tiberii, Percennio duce & impulſore ſeditionem mouentes, conqueſtos: *Militiam ipſam grauem, infructuoſam: denis in diem aßibus animam & corpus æſtimari, hinc veſtem, arma, tentoria, hinc ſæuitiam centurionum & vocationes munerum redimi.* Et mox hoc

Tacitus I. Annal.

eorum poſtulatum: *Vt ſingulos in diem denarios mererent, ſextusdecimus ſtipendii annus finem afferret.* Quod ita Dio reddidit: οὐθ' ὑπὲρ ἑκκαίδεκα ἔτη στρατεύεσθαι ἤθελον, καὶ δραχμὴν ἡμερησίαν φέρειν, τά τε ἆθλα εὐθὺς αὐτοῦ ἐν τῷ στρατοπέδῳ λαμβάνειν ἠξίουν. Aperta ratione, quia denarium & pluſquam decem aſſibus vulgò erogare poterant, & ſeruare quàm illos malebant. Et hoc quod in denario argenteo accidit, idem etiam in ſolido aureo. Extat relatio Symmachi præfecti vrbis ad Theodoſium Imp. * qua intercedit pro collectariis ſiue nummularijs, qui vendendis ſolidis, quos plerunque publicus vſus expoſcit, obnoxii erant.

** Lib. X. Epiſt. 42.*

Huic hominum generi, inquit, *taxationis exiguæ vilitate nutanti, Diuus frater Numinis veſtri tantum pro ſingulis ſolidis ſtatuit conferendum, quantum æquitas illius temporis poſtulabat. Sed paulatim auri* ENORMITATE CRESCENTE, *vis remedii diualis infracta eſt. Et cum in foro vanalium rerum maiore ſumma ſolidus cenſeatur, nummulariis pretia minora penduntur. Petunt igitur de Aeternitate veſtra, pro ratione præſenti iuſtiſſimæ definitionis augmenta: qui iam tanto oneri ſuſtinendo pares eſſe non poſſunt.* Cauſam enim huius enormitatis indies creſcentis non aliam fuiſſe exiſtimo, quam paruæ pecuniæ prauitatem, ſiue ea remixta ſiue merè ærea fuit. Quales enim fuiſſe illos nummulos putamus, quorum tunc ſeptem millia & ducenti

ſolido

ſolido vno continebantur, vt ex eiuſdem Theodoſii Imp. Nouella XX quæ *De pretio ſolidi* inſcripta eſt, & Caſſiodori epiſt. 10. lib. 1. diſcimus. Et tamen cum tanti ab ipſis nummulariis (vt ibi dicitur) ſolidus redimendus eſſet, in foro vænalium ad amplius precium paulatim aſcendiſſe locus ille Symmachi teſtatur. Hoc ex Romana antiquitate exemplum ſit. Iam ex media videamus. Coram Innocentio III. Pontifice conqueſtus eſt Epiſcopus Spoletanus, Clericos plebis Rupinæ cum ipſi quotannis ſex denarios Papienſes (argenteos fuiſſe exiſtimo) pro ſynodatico deberent & conſueſſent perſoluere, à triginta ſex annis iam non Papienſes, ſed pro illis monetam numerare, tres nimirum Lucenſes vel Medalias pro ſingulis Papiẽſibus. Quod quidem cum prędeceſſor ſuus Lotharicis vtcumque tuliſſet, iam ſibi ferendum vltrà non videri, Lucenſibus modernis ita deprauatis, vt tres illi qui antea ſoluebantur, quinq; vel ſex recentes bonitate & valore ęquent; atque ita Papienſis vnus ſenis modò Lucenſibus ſiue Medaliis poſſit permutari. Pontifex Innocentius ſtatim deprehendit, vt controuerſiam hanc ex mutatione & augmento pecuniæ ſolidæ Papienſium, ita illud augmentum ex minoris MONETÆ (vt loquitur) DECLINATIONE, id eſt deterioratione & culpa monetariorum proficiſci: eam tamen domino cenſus, hoc præſertim caſu quo præſcriptio integra non interceſſiſſet, fraudi eſſe nõ debere, quin ad ſolutionem denariorũ Papienſium in ſpecie, aut quidem æſtimationem eorum pro tempore debitores teneantur. Hoc ex media antiquitate, circa Annum MCC. De ſuperiori æuo, patrum memoria, noſtra denique tempeſtate dicere quid attinet? plena ſunt omnia querelis, & hanc mali cauſam omnes denotant. Videatur Nicolai Oreſmij Lexouienſis Epiſcopi, qui antea Caroli V. Fran-

C. XX. De cenſib.

corum Regis cognomine Sapientis præceptor fuerat, tractatus *De mutatione monetarum ac variatione facta per Reges aut Principes*, scriptus circa Annum MCCC. Videatur Gabrielis Biel, Iohannis Aquilæ, ante centum prope annos de eodem argumento commentationes. Vtinam & Iohannis Dalburgii Episcopi Wormatiensis & Palatinatus Cancellarii, de eodem liber extaret, quem ab illo scriptum Trithemius Abbas alicubi refert. Denique non in sola Germania hoc fit: sed etiam in Gallia, Sabaudia, Belgio, Italia, Anglia, Polonia, idem euenire queruntur omnes, vt moneta magis magisque inquinata, mixtura & compositione declinante, aureorum argenteorumque valor velut cōtra nitens assurgat. Neque verò remedium labenti hac quoque in parte reipublicæ, luxata & concordia & disciplina, afferri posse vident, nisi Billone (quem vocant) illo planè remoto, & moneta omni ad meram auri argentiq; puritatem reuocata. Qua de re elegans & acuta extat disputatio Iohannis Bodini libro singulari, *De augmento & decremento pecuniæ, contra Paradoxa Malestretti*, & lib. VI. de Republ. cap. 6.

Billon.

Quapropter si Cæsar Augustus, si Electores, Principes, & Ordines Imperij, aureæ argenteæque pecuniæ suæ optimæ & pulcherrimæ, indicaturam quàm lege publicâ indiderunt, constantem & perpetuam esse volunt; bonitatem primò eius à metallo integrè religiosèq; conseruent. deinde verò nummulos illos minores non tantum rigidissimo examine & probos, & nō supra modū à lege præfinitū procudi curent: sed uerò tandē, quia eorum plus satis jam procusum est, & copiâ magis eorū respublica laborat; nullos deinceps amplius, intra aliquot saltem annos, fabrefieri permittant, & ab eo genere manus omnino abstinere mone-

tarios

tarios sub grauissimis pœnis iubeant. Id enim nisi fiat, & quanto ocyus fiat, si in libera Republica ingenuo homini liberè loqui fas est, clarè dico, aut me omnia fallunt, aut crescentis Solidorum precii cursum non magis vlla ratione sistere & reprimere poterunt, quàm hactenus tot fixis refixisque edictis potuerunt, imò quàm olim Romana tanta & potentia & ἀνομίᾳ in Denario Solidoque (vti dictum est) efficere potuit.

IANVS GRVTERVS.

Vidi, ut vis, legique tuum Marquarde libellum
Iura Monetalis quo moderare rei:
Vidi, inquam, legique; sed haud ibi pars fuit, atrì
Qua Theta posset commeruisse notam.
Vsque adeo fuerant aut vera, aut proxima veris:
Id nec Aristarchi lima severa neget.
Sumpsi etenim ipse eius vultum, vitijque colorem
Omni aliquem cupij prendere posse modo.
Sed tua visa Venus mihi tam est perfecta, nec ipsa
Vt crepidas posset carpere Momus iners.

Elegans descriptio
NOVI INVENTI
FABRICÆ MONETARIÆ IN HALIS TERIOLANIS,
qua nummi prælis imprimuntur.

Ex Herculeo Prodici Stephani Pighij Campensis. Pag.232.

HInc pergunt ad Archiducis fabricam monetariam, uti nouum nostri sæculi inuentum formandæ monetæ uiderent: nimirũ quod aurei, argentei, æreique nummi non flando feriundoue fiant, aut malleis cudantur, sed expeditissimè prælis imprimantur. Aquaria rota impetu magno circumagit machinam ferream, organo horologico non absimilem. Constat enim ex rotis dentatis multis sic inter se connexis, ut se mutuo impellant coactæ per rotam aquariam. Voluunt autem in medio machinæ iunctos duos cylindros ex chalybe in summam duritiem temperatos. Quorum unus alteri superpositus est, & aguntur ambo simul rotis illis dentatis contrario motu aduersum sese, ut superior deorsum, inferior sursum semper rotetur. In his cylindris artifice manu sunt insculptæ nummorum formæ uel characteres per circuitum ea magnitudine & proportione, qua nummus iusto cum pondere suo debet exprimi. Habet autem in circuitu suo cylindrus quilibet tot formas eiusdem nummi similes, quot pro spissitudine capere potest; easque nonnihil extantes cum marginibus acutis à reliqua cylindri superficie, quo possint superabundans metallum è cælatura separare, & è

characte-

characteribus eijcere. In superioris cylindri formis calatæ sunt Cruces, aut Principum imagines cum suis titulis atque parergis, quæ in uno numismatis latere debent exprimi. Sic in inferioris cylindri formis, quæ in altero latere: scilicet insignia Principum aut ciuitatum, aut alia emblemata cum suis elogiis & annorum notis, in quibus illa primum moneta formatur. Iam uerò cylindri tam aptè iunguntur inter se, ut formæ æqualiter, & summa cum proportione simul inter uoluendum coniũgantur, nummique ab utroque latere perfecti figuram absoluant. Itaque nihil aliud ibidem agit monetarius, quàm ut laminas auri, argenti, ærisue, iam antea pro formandæ monetæ pondere, ac magnitudine præparatas in orbem euntibus cylindris admoueat, & formis se claudentibus inserat. Mox formæ laminam à fronte suis characteribus uelut dentibus apprehensam attrahunt, deglutiunt, sensimque deuorant totam; & à tergo numismata perfectissimè expressa eodem temporis momento cum excrementis metalli superfluis euomunt, & in peluim suppositam deiiciunt. Delectatur admodum hac consideratione Carolus princeps, & gaudebat laminas ipse vel aureas, vel argenteas cylindris inserere, atque breuissimo spacio decem aut duodecim perfectissima numismata perficere. Perlustrant deinde tabernas monetariorum omnes, & uident ubique Nymphas operariorum labores quosque maximos gnauiter subire. Mouent enim hic rotis aquariis folles, & flammas in fornacibus excitant, ubi metalla liquefiunt, & temperantur; illic magno cum fragore plures malleos ordine & uicissim in incudibus quatiunt; uti faber artifex nil aliud habeat quod agat, quam uti metalla calida malleis subiiciat, & extrahat, uersandoq; in incude in eam, quam uelit formam, tenuitatemq; reducat. Laminas autem formis subijciendas hoc ferè modo præparant. Certum pondus metalli puri catinis iniectum liquefaciunt in fornacibus, adduntq; mixturam: auro argenti tantum, & argento tantum æris, quantum permittitur lege

mone-

monetaria imperiali, uel decreto principis, aut ciuitatis, cuius impensis moneta formatur. Iam liquidum, ac ita temperatum fundunt in canales ferreos, & formant in bacillos bipedales; quos deinde (ut dixi) malleis subijciunt, & extendunt in laminas crassas, aut tenues, latas aut strictas, prout ratio, pondus & magnitudo monetæ formandæ postulat. Itaque lamina facillimè formas supplet, & eo minus superflui reddit. Formæ uicissim tantæ perfectionis nummos proferunt, ut correctoribus parum negotij fiat in ijs ad æquilibrium siue legitimum suum pondus per bilances redigendis.

R. P. D. NICOLAI ORESMII, LEXOVIENSIS EPISCOPI, THEOLOGI PARITER AC PHILOSOPHI ACVTISSIMI, TRActatus de Origine & iure, nec non & de mutationibus Monetarum.

[*Hic fuit preceptor* CAROLI V. *cognomento Sapientis, Regis Galliæ, qui regnauit circa Annum* MCCC. *Eiusdemque insectationem Astrologicæ superstitionis peculiari commentario scriptam, item librum de proportionibus proportionum, alicubi citat Picus Mirandulanus. Nescio an idem, cuius Orationem habitam coram Urbano PP. V. & Cardinalibus Anno* MCCCLXIII. *in Catalogo Testium Veritatis ponit Illyricus.*]

INDEX CAPITVM.

PROLOGVS.

QVIBVSDAM videtur, quod aliquis Rex aut Princeps, auctoritate propria possit de iure aut priuilegio liberè mutare monetas in suo regno currẽtes, & de eis ad libitum ordinare, ac super hoc capere lucrum aut emolumentum quantumlibet: aliis autem videtur oppositum. Propter quod intendo in præsenti tractatu de hoc scribere, quod secundum philosophiam Aristotelis principaliter videtur mihi esse dicendum, incipiens ab origine monetarum: nihil temerè asserendo, sed totum submitto correctioni maiorum, qui forsan ex eis quæ dicturus sum, poterunt excitari ad determinandum veritatẽ super isto, ita vt omni cessante scrupulo omnes in vnam possint sententiam pariter conuenire, & circa hoc inuenire, quod principibus & subiectis, immò toti Reipublicæ proficiat in futurum.

Propter quid Moneta sit inuenta.

CAPVT I.

QVando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum. Inde multiplicati sunt homines super terram, & possessiones pro vt expediebat diuisæ sunt. Ex hoc autem contigit, quod vnus habuit de vna re vltra suam necessitatem: alius verò de eadem re habuit parum aut nihil: & de alia re fuit è contrario. Sicut forsan quis abundauit ouibus, & pane indiguit; & agricola è conuerso. Vna etiam regio superabundauit in vno, & defecit in alio. Cœperunt ergo homines mercari sine moneta, & dabat vnus alteri ouem pro frumento, & alius de labore suo panem vel lanam, & sic de aliis rebus: quod adhuc longo

Deutero. 32. 8.

INDEX CAPITVM.

PROLOGVS.

QVIBVSDAM videtur, quod aliquis Rex aut Princeps, auctoritate propria poſſit de iure aut priuilegio liberè mutare monetas in ſuo regno currētes, & de eis ad libitum ordinare, ac ſuper hoc capere lucrum aut emolumentum quantumlibet: aliis autem videtur oppoſitum. Propter quod intendo in præſenti tractatu de hoc ſcribere, quod ſecundum philoſophiam Ariſtotelis principaliter videtur mihi eſſe dicendum, incipiens ab origine monetarum: nihil temerè aſſerendo, ſed totum ſubmitto correctioni maiorum, qui forſan ex eis quæ dicturus ſum, poterunt excitari ad determinandum veritatē ſuper iſto, ita vt omni ceſſante ſcrupulo omnes in vnam poſſint ſententiam pariter conuenire, & circa hoc inuenire, quod principibus & ſubiectis, immò toti Reipublicæ proficiat in futurum.

Propter quid Moneta ſit inuenta.

CAPVT I.

QVando diuidebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum. Inde multiplicati ſunt homines ſuper terram, & poſſeſſiones pro vt expediebat diuiſæ ſunt. Ex hoc autem contigit, quod vnus habuit de vna re vltra ſuam neceſſitatem: alius verò de eadem re habuit parum aut nihil: & de alia re fuit è contrario. Sicut forſan quis abundauit ouibus, & pane indiguit; & agricola è conuerſo. Vna etiam regio ſuperabundauit in vno, & defecit in alio. Cœperunt ergo homines mercari ſine moneta, & dabat vnus alteri ouem pro frumento, & alius de labore ſuo panem vel lanam, & ſic de aliis rebus: quod adhuc longo

Deutero. 32. 8.

tempore postea fuit institutum, vt narrat Iustinus. Sed tamen in huiusmodi permutatione & transportatione rerum, multæ difficultates acciderunt. Subtilisati homines vsum monetæ inuenere, quæ esset instrumentum permutandi ad inuicem naturales diuitias, quibus de per se subuenitur naturaliter humanæ necessitati. Nam ipsæ pecuniæ dicuntur *Artificiales diuitiæ*: contingit enim his abundantem mori fame, sicut exemplificat Aristoteles de Rege cupido, qui orauit, vt quidquid ipse tangeret, aurum esset: quod Dii annuerunt, & & sic fame periit, vt dicunt Poetæ. Quoniam per pecuniam non immediatè succurritur indigentiæ vitæ, sed est instrumentum artificialiter adinuentum pro naturalibus diuitiis leuiter permutandis. Et absque alia probatione clarè potest patere, quod numisma est valde vtile bonæ Communitati ciuili, & Reipublicæ vsibus opportunum, imo necessarium: vt dicit Aristoteles V. Ethicorum. Quanquam de hoc dicat Ouidius:

Effodiuntur opes irritamenta malorum,
Iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum.

Midas.

Hoc enim facit peruersa malorum cupiditas, non ipsa pecunia, quæ est humano conuictui multum accommodata, & cuius vsus per se bonus est. Inde ait Cassiodorus: *Pecuniæ ipsæ quamuis vsu creberrimo viles esse videantur, animaduertendum est tamen, quanta à veteribus ratione collecta sunt.* Et in alio loco dicit, quod constat *Monetarios in vsum publicum specialiter esse inuentos.*

1. Variar. 10.

De qua materia debeat esse Moneta.

CAPVT II.

ET quoniam moneta est instrumentum permutandi diuitias naturales, vt patet ex capitulo præcedenti: conueniens fuit, quod adhoc tale instrumentum fuerit aptum: quod fit, si sit attrectabile seu palpabile, & leuiter portabile, & quod pro modica eius portione habeantur diuitiæ naturales in quantitate maiori, cum aliis conditionibus, quæ postea videbuntur. Oportuit igitur, quod numisma fieret de materia preciosa & cara, cuiusmodi est aurum. Sed talis materia debet esse in competenti abundantia. propter quod vbi aurum

rum non sufficeret, moneta fit cum hoc de argento: vbi autem ista duo metalla non sufficerent, vel non haberentur, debet fieri mixtio, aut simplex moneta de alio puro metallo. Sicut antiquitus fiebat ex ære, vt narrat Ouidius 1. Fastorum dicens,

Aera dabant olim, melius nunc omen in auro est.
Victaque concessit prisca moneta nouæ.

Similem etiam mutationem promisit Dominus per Esaiam, dicens: *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum.* Hæc enim metalla sunt ad monetam aptissima. Et vt Cassiodorus inquit, *Primus dicitur aurum & argentum Indus rex Scythiæ recepisse, & humano vsui summa laude tradidisse.* Et ideo non debet permitti, quod tantum ex eis in vsus alios applicetur, quod residuum non sufficiat pro moneta. Quod Theodoricus Rex Italiæ rectè aduertens, aurum & argentum, quod more gentium in sepulchris mortuorum erat reconditum, iussit depromi, & vsui monetæ ad vtilitatem publicam fecit afferri, dicens, *Culpa genus esse inutiliter in abditis relinquere mortuorum, vnde se vita potest sustentare viuentium.* Rursum nec expedit politiæ, quod talis materia sit nimis abundans: hac enim de causa moneta ærea recessit ab vsu, vt ait Ouidius. Forsan etiam ob hoc humano generi prouisum est, vt aurum & argentum, quæ sunt ad hoc aptissima, non facilè habeantur in copia, & vt non possint per Alchimiam faciliter fieri, sicut aliqui tentant: quibus (vt ita dicam) iustè obuiat ipsa natura, cuius opera frustra nituntur excedere.

Esa. 60, 17.

Cassiodor. lib. 4. cap. 34.

Alchimia.

De diuersitate Monetarum & mixtione.

CAPVT III.

MOneta (vt dicit primum Capitulum) est instrumentum mercaturæ. Et quoniam contingit, quod cuilibet expedit mercaturam fieri, aliquotiens magnam seu grossam, quandoque vero minorem, & plerumque de paruis vel paruam: inde est quod conueniens fuit habere monetam preciosam, quæ facilius portaretur & enumeraretur, & quæ magis esset habilis ad mercaturas maiores. Expediuit etiam habere argenteam, minus scilicet preciosam, quæ apta est ad recompensationes & æquiparantias faciendas, & pro em-

Moneta maior & minor.

ptione mercimoniorum minorum. Et quoniam aliquotiens in aliqua regione non satis competenter habetur de argento, secundum portionem diuitiarum naturalium: imo portiuncula argenti, quæ iustè dari deberet pro libra panis vel aliquo tali, esset minus bene palpabilis propter nimiam parvitatem: ideo facta fuit mixtio de minus bona materia cum argento. Et inde habuit ortum nigra moneta, quæ est congrua pro minutis mercaturis. Et sic conuenientissimè, vbi non abundat argentum, sunt tres materiæ monetarum, prima aurea, secunda argentea, & tertia nigra mixta. Sed aduertendum est & notandum pro regula generali, quod nunquã debet fieri mixtio, nisi tantummodo in minus precioso metallo, de quo consueuit fieri minus preciosa moneta. Verbi gratia, vbi haberetur moneta ex auro & argento, mixtio nunquam facienda est in moneta aurea: si tamen aurum talis naturæ fuerit, quod monetari possit inmixtum. Et est causa, quoniam omnis talis mixtio de se suspecta est, nec facilè possunt auri substantia, & eius quantitas in mixtione cognosci. Propter quod nulla mixtio debet in monetis fieri, nisi propter necessitatem iam tactam: & tunc facienda est, vbi suspicio est minor, vel deceptionis minoris, & hoc est de metallo minus precioso. Rursum nulla talis mixtio facienda est, nisi duntaxat pro vtilitate communi, ratione cuius moneta est inuenta, & ad quam naturaliter ordinatur, vt patet ex prius dictis. Sed nunquam est necessitas, nec apparet communis vtilitas, faciendi mixtionem in moneta aurea, vbi habetur argentea: nec videtur posse bona intentione fieri, neque vnquam facta est in cõmunitate prospere gubernata.

Nigra moneta.

De forma seu figura Monetæ.

CAPVT IV.

CVm primum cœpissent homines mercari siue comparare diuitias mediante moneta, nondum erat in ea aliqua impressio vel imago, sed vna portio argenti vel æris dabatur pro potu vel cibo, quæ quidem portio mensurabatur ad pondus. Et quoniam tædiosum erat ita crebrò ad trutinam recurrere, nec bene poterat pecunia mercatoris æquiparari per pondus: cum hoc etiam, venditor (vt in pluribus) non poterat cognoscere metalli substantiam siue modum mixtionis,

nis: ideo per sapientes illius temporis prudenter prouisum est, quod portiones monetæ fierent de certa materia & determinati ponderis, & quod in eis imprimeretur figura, quæ cunctis notior significaret qualitatem materiæ numismatis, & ponderis veritatem, vt amota suspicione posset valor monetæ sine labore cognosci. Quod autem impressio talis instituta, sit nuntius & in signum veritatis materiæ & ponderis; nobis ostendunt antiqua nomina monetarum cognoscibilium ex impressionibus vel figuris, cuiusmodi sunt Libra, Solidus, Denarius, Obolus, & similia, quæ sunt nomina ponderis appropriata monetis, vt ait Cassiodorus. Similiter Siclus est nomen monetæ, vt patet in Genesi; & est nomen ponderis, vt patet ibidem. Alia verò monetæ nomina sunt impropria, accidentalia, seu denominatiua à loco, à figura, ab auctore, vel aliquo tali modo, portiones autem monetæ quæ dicuntur *numisma*, deberent esse figuræ & quantitatis habilis ad contrectandum & ad numerandum, & de materia numerabili, ac etiam ductibili ac receptibili impressionis siue tenaci. Et inde est quod non omnis preciosa res apta est, vt fiat numisma: gemmæ enim, piper, & talia non sunt ad hoc apta nata, sed præcipuè aurum & argentum, sicut fuit supra tactum.

Libra. Solidus. Denarius. Obolus. Genes. 23. 15.

Cui incumbit facere numisma.

CAPVT V.

ADhuc autem fuit antiquitus ordinatum, & propter deceptionem cauendam, quod non licet cuilibet facere monetam, aut huiusmodi figuram vel imaginē imprimere in suo proprio argento vel auro: sed quod moneta vel characteris impressio fieret per vnam personam publicam, seu per plures à communitate ad hoc deputatas. Quia (sicut præmissum est) moneta de natura sua instituta est & inuenta pro bono communitatis. Et quoniam Princeps est persona magis publica, & maioris auctoritatis; conueniens est, quod ipse pro communitate faciat fabricare monetam, & eam congrua impressione signare. Hæc autem impressio debet esse subtilis, & ad effigiandum seu contrafaciendum difficilis. Debet etiam prohiberi, ne aliquis extraneus princeps vel alter, fabricaret

Forma publica.

bricaret

bricaret monetam ſimilem in figura & minoris valoris, ita quod vulgus neſciret diſtinguere inter iſtam & illam. Hoc eſſet male factum, nec aliquis poteſt de hoc habere priuilegium; quia falſitas eſt, & cauſa iuſtè bellandi contra talem extraneum.

Cuius ſit ipſa Moneta.

CAPVT VI.

QVamuis pro vtilitate communi Princeps habeat ſignare numiſma, non tamen ipſe dominus ſeu proprietarius eſt monetæ currentis in ſuo principatu. Moneta ſiquidem eſt inſtrumentum æquiualens permutandi diuitias naturales, vt patet ex primo Capitulo. Ipſa igitur eſt ipſorũ poſſeſſio, quorum ſunt huiuſmodi diuitiæ. Nam ſi quis dat panem ſuum, vel laborem proprii corporis, pro pecunia, cum ipſe eam recipit, ipſa eſt ſua, ſicut erat panis vel labor corporis, qui erat in eius poteſtate libera, ſuppoſito quod non ſit ſeruus. Deus enim à principio non dedit ſolum principibus libertatem ad dominium rerum: ſed primis parentibus & toti poſteritati, vt habetur in Geneſi. Moneta igitur non eſt

Matth. 22. ſolius principis. Si quis autem vellet opponere per hoc, quod Saluator noſter, oſtenſo ſibi quodam denario, inrerrogauit dicens, *Cuius eſt imago & ſuperſcriptio hac*? & cum reſponſum eſt, *Cæſaris*, ipſe ſententiauit dicens: *Reddite igitur quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ Dei ſunt, Deo.* Ac ſi diceret: Cæſaris eſt numiſma, ex quo imago Regis in eo eſt impreſſa. Sed inſpicienti ſeriem Euangelii patet facilè, quod non ideo dicitur Cæſari deberi denarius, quia erat Cæſaris imagine ſuperſcriptus, ſed quoniam erat tributum. Nam vt ait Apoſtolus: *Cui tributum, tributum; & cui vectigal, vectigal.* Chriſtus itaque ſignauit, per hoc poſſe cognoſci cui debeatur tributũ: quod illi debebatur, qui pro Republica militabat, & qui ratione Imperii poterat fabricare monetam. Eſt igitur pecunia communitatis & ſingularium perſonarum: & ita dicit Ariſtoteles VII. Politicæ, & Tullius circa finem veteris Rhetoricæ.

Ad

Ad cuius expensas fabricanda sit moneta.

CAPVT VII.

SIcut ipsa moneta est communitatis, ita debet fabricari expensis communitatis. Hoc autem conuenientissimè, si huiusmodi expensæ accipiantur supra totam monetam, per hunc modum; quod materia monetabilis, sicut aurum, quando traditur ad monetandum, vel venditur pro moneta, detur pro minori pecunia, quam possit ex ea sub certo precio taxato haberi. Verbi gratia, si ex marca argenti fieri possint LXII. solidi, & pro labore & necessariis ad monetandum eam requirantur duo solidi, erunt pro monetatione LXIV. *Sumtus monetationis.* Hæc autem portio taxata debet esse tanta, quod sufficiat abundanter omni tempore pro fabricatione monetæ. Et si moneta possit fieri pro minori precio, satis congruum est, quod residuum est distributori vel ordinatori, scilicet Principi vel magistro Monetarum, & sic sicut quædam pensio. Sed tamen huiusmodi portio debet esse moderata, & sufficienter satis parua, si monetæ sufficerét debito modo, vt dicetur postea. Et si talis portio vel pensio esset excessiua, hoc foret in damnum & præiudicium totius communitatis, sicut potest vnicuique faciliter apparere.

De mutationibus monetarum in generali.

CAPVT VIII.

ANte omnia sciendum est, quod nunquam sine euidenti necessitate mutandæ sunt priores leges, statuta, consuetudines seu ordinationes quæcunque, tangentes communitatem. Imo secundum Aristotelem in II. Politicæ, Lex antiqua positiua non est abrogāda pro meliore noua, nisi sit multum notabilis differentia in bonitate earum, quoniam mutationes huiusmodi diminuunt ipsarum legum actoritatem & reuerentiam, & multo magis si frequenter fiant. *Legum mutatio cauenda.* Ex hoc enim oritur scandalum & murmur in populo, & periculum inobedientiæ. Maximè si tales mutationes essent in peius; nam tunc forent intolerabiles & iniustæ. Nunc autem ita est, quod cursus ipsarum monetarum in regno debet esse quasi quædam lex & quædam ordinatio firma. Cuius signum est,

quod quædam pensiones & quidam reditus annuales taxati sunt ad precium pecuniæ, scilicet ad certum numerum librarum vel solidorum. Ex quo patet, quod nunquam debet fieri mutatio monetarum, nisi fortè emineret necessitas, aut fortè euidens vtilitas pro tota communitate. Vnde Aristoteles V. Ethicorum, loquens de numismate, *Verumtamen*, inquit, *vult manere magis*. Mutatio autem monetæ (pro vt in generali possum perpendere) potest imaginari fieri multipliciter, Vno modo in forma seu figura præcisè, alio modo proportione, alio modo in appellatione vel nomine, alio modo in quãtitate vel pondere, & alio modo in substantia materiæ. In quolibet enim istorum quinque modorum, sigillatim aut pluribus simul, potest mutari moneta. Bonum est igitur istos modos discurrendo declarare, & per rationem inquirere, si aliquo eorum potest iustè mutari moneta: & quando, & per quem, & qualiter, & propter quid.

De mutatione Monetæ in figura.

CAPVT IX.

Figura impressa seu Character Monetæ potest dupliciter innouari. Vno modo, non prohibendo cursum monetæ prioris, vt si princeps in moneta, quæ sit suo tempore, inscriberet nomen suum, permittendo super cursum præcedentis. Et hæc non est propriè mutatio, nec est magna vis si hoc fiat, dum tamen non implicetur cum hoc alia mutatio. Alio modo potest innouari figura, faciendo nouam monetam cum prohibitione cursus antiquæ. Et est propriè mutatio: & potest fieri iustè propter alteram duarum causarum. Vna est si aliquis Princeps extraneus, vel aliqui falsarii malitiosè effigiarint vel contrafecerint modulos seu cuneos monetarum, & inueniatur iu regno moneta sophistica, falsa & similis bonæ in colore & figura: tunc qui non posset aliter remedium apponere, expediret mutare modulos & figuram impressionis monetæ. Alia causa posset esse, si forsan antiqua moneta esset vetustate nimia impeiorata, vel in pondere diminuta: tunc cursus deberet prohiberi, & in noua meliore esset facienda impressio differens, vt vulgus sciret per hoc distinguere inter istam & illam. Sed non videtur

mihi

mihi, quod Princeps posset inhibere cursum prioris monetæ sine altera istarum causarum: alias enim talis mutatio esset præter necessaria, scandalosa, & communitati damnosa. Nec apparet, quod princeps ad talem mutationem posset moueri, nisi altero istorum modorum; videlicet, aut quod vult vt in quolibet numismate, inscribatur nomen suum, & non aliud: & hoc esset facere irreuerentiam prædecessoribus suis, & ambitio vana. Aut quod vult plus * fabricare de moneta, *f. peius. vt ex hoc habeat plus de lucro, iuxta illud quod tactum est supra cap. VII. & hæc est praua cupiditas, in præiudicium & damnum totius communitatis.

De mutatione proportionis Monetarum.

CAPVT X.

PRoportio est rei ad rem comparatio, vel habitudo: sicut in proposito, monetæ aureæ ad monetam argenteam debet esse certa habitudo in valore & precio. Nam secundum hoc, quod aurum est de natura sua preciosius & rarius argento, & ad inueniendum vel habendum difficilius, ipsum aurum æqualis ponderis debet præualere: sicut forsan esset proportio viginti ad vnum, & sic vna libra auri valeret viginti libras argenti, & vna marcha xx. marchas, & vna vncia xx. vncias, & sic semper conformiter. Et possibile est quod sit vna alia proportio, sicut forte xxv. ad tria, & quæuis alia. Verumtamen ista proportio debet sequi naturalem habitudinem auri ad argentum in preciositate, & secundum hoc instituenda est huiusmodi proportio. Quam non licet voluntariè transmutare, nec potest iure variari, nisi propter causam realem, & variationem ex parte ipsius materiæ: quæ causa rarò contingit. Vt si forsan notabiliter minus inueniretur de auro, quàm ante: tunc oporteret quod esset carius in proportione ad argentum, & quod mutaretur in precio & valore. Si parum aut nihil sit mutatum in re, tunc hoc nullo modo posset licere Principi. Nàm si huiusmodi proportionem ad libitum immutaret, ipse per hoc posset attrahere sibi indebitè pecunias subditorum: vt si taxaret aurum ad paruum precium, & illud emeret pro argento, & inde augmentato precio rursum venderet aurum suum vel mone-

tam auream, vel conformiter de argento: illud esset similiter, sicut si poneret precium in toto frumento regni sui, & emeret, & postea venderet pro maiori precio. Quisque certè potest clarè videre, quod ista esset iniusta exactio, & vera tyrannis: immo videretur violentior & peior, quàm illa fuerit quam fecit Pharao in Ægypto: de qua Cassiodorus ait: *Ioseph legimus contra famem funestam, emendi quidem tritici dedisse licentiam, sed tale posuisse precium, vt suæ subiectionis auidus populus se venderet, potius alimoniam mercaturus. Quale fuit rogo tunc miserum viuere, quibus acerba subuentio libertatem suam videbatur adimere, vbi non minus ingemit liberalitas quam potuit scire captiuus. Credo virum sanctum hac necessitate constrictum, vt & auaro principi satisfacere, & periclitanti populo subuenire.* hæc ille. Istud autem monopolium monetarum adhuc esset veriùs tyrannicum, eo quod foret magis involuntarium, & communitati non necessarium, sed præcise damnosum. Si quis autem dicit, quod nou est simile de frumento, quod aliqua spectant specialiter ad principem, iu quibus potest statuere precium prout placet: sicut dicunt aliqui de sale, & fortiori ratione de moneta. Istud autem monopolium seu gabella salis, aut cuiuscunque rei necessariæ Communitati, iniusta est. Et si qui Principes statuerent leges hoc eis concedentes, ipsi sunt de quibus Dominus per Isaiam Prophetam dicit, *Væ qui condunt leges iniquas & scribunt & iniustitias scripserunt.* Rursum ex primo & sexto capitulis satis patet, quod pecunia est ipsius Communitatis. Ideoque & ne Princeps possit malitiose fingere causam mutationis proportionis monetarum in præsenti capitulo assignatam, ipsi soli Communitati spectat discernere, si & quando, & qualiter, & vsquequo immutanda est huiusmodi proportio: nec Princeps hoc debet sibi quomodo libet vsurpare.

Genes. 41.

Isai. 10. 1.

De mutatione appellationis Monetarum.

CAPUT XI.

Sicut fuit dictum capitulo IIII. quædam sunt appellationes seu necessaria accidentalia monetarum, denominatiua ab auctore, vel à loco: & ista quasi nihil vel modicum faciunt ad propositum. Sed alia sunt magis essentialia & appropriata

propriata numiſmati, ſicut Denarius, Solidus, Libra, & ſimilia, quæ denotant precium, ſiue pondus, & quæ fuerunt alta conſideratione & magno myſterio ab antiquis impoſita. Vnde Caſſiodorus, *Animaduertendum eſt*, inquit, *quanta ratione ipſa pecuniæ à veteribus collecta ſunt. Sex millia denariorum ſolidum eſſe volebant, ſcilicet vt radiantis metalli formata rotunditas ætatem mundi, quaſi ſol aureus, conuenienter includeret. Senarium verò (quem non immerito perfectum antiquitas docta definiuit) Vncia, qui menſura primus gradus eſt, appellatione ſignificauit: quam duodecies ſimilitudine menſium computatam in libra plenitudinem ab anni circulo collegerunt. O inuenta prudentium. O prouiſa maiorum. Exquiſita res eſt, quæ & vſui humano neceſſaria diſtingueret, & tot arcana naturæ figuraliter contineret. Merito igitur dicitur Libra, quæ tanta rerum eſt conſideratione trutinata.* Hæc ille. Si autem alio modo vtamur pro nunc iſtis nominibus & nummis, nunquam tamen immutanda ſunt fruſtra. Sunt igitur (gratia exempli) tres modi numiſmatis, Primum valeat vnum denarium, ſecundum vnum ſolidum, & tertium vnam libram. Si igitur appellatio vnius immutetur, & non alterius, iam variabitur proportio. Sicut qui vocaret vel faceret valere primum numiſma duos denarios, aliis non mutatis, proportio eſſet variata: quod non licet fieri (vt patet ex capitulo præcedenti) niſi forte rariſſimè, & hoc ad præſens non curo. Oportet igitur ſi proportio remaneat immutata, & vnum numiſma mutaret appella ionem, quod aliud etiam proportionabiliter immutetur: vt ſi primum vocetur duo denarii, ſecundum vocetur duo ſolidi, & tertium duæ libræ. Si autem non fieret alia mutatio, oporteret mercimonia ad maius precium cõparare proportionabiliter ſeu appellare. Sed talis mutatio non fieret fruſtra, & non eſt facienda; quia ſcandaloſa eſſet, & appellatio falſa. Illud enim appellaretur libra, quod in veritate non eſſet libra: quod eſt inconueniens, vt nunc dictũ eſt. Verumtamen nullum aliud inconueniens ſequeretur, vbi non eſſent penſiones vel aliqui reditus pecuniæ aſſignati: vbi verò eſſent, ſtatim patet, quod cum inconuenientib. prædictis huiuſmodi reditus ex tali mutatione ꝓportionaliter minuerentur, aut creſcerent irrationabiliter & iniuſtè, ac etiam in præiudicium multorum. Nam vbi penſiones vel re-

ditus aliquorum essent minus parui, deberent per alium modum specialem augeri, & non isto modo præiudiciali & damnoso. Hæc igitur appellationis mutatio præcisè nunquam est facienda, & maxime Princeps in nullo casu debet hoc attentare.

De mutatione ponderis Monetarum.

CAPVT XII.

SI pondus numismatis mutaretur, & cum hoc variaretur proportionabiliter precium, & appellatio cum figura; hoc esset facere aliud genus monetæ; sicut qui faceret de vno denario duos, vel aliquid tale, sine perditione vel lucro. Et istud posset licitè aliquotiens fieri propter aliquam transmutationem realem in materia monetabili, quæ non potest nisi rarissimè contingere, sicut in quadam alia mutatione dictum est Cap. X. Nunc autem volo dicere de præcisa mutatione ponderis seu quantitatis monetæ, quæ fieret appellatione & precio non mutatis. Et videtur mihi, quod talis mutatio est simpliciter illicita, potissimè Principi, qui nullo modo potest hoc facere, nisi turpiter & iniustè. Primo namque superscriptio in numismate per principem ponitur ad designandam certitudinem ponderis, & materiæ qualitatem, sicut fuit ostensum supra cap. IIII. Igitur si non responderet veritas in pondere, patet statim, quod esset falsitas vilissima & deceptio fraudulenta. Sæpe enim mensuræ bladi & vini, & aliæ signatæ sunt publico signo Regis, & si quis in istis fraudem committeret, reputaretur fallarius. Omnino autem consimiliter superscriptio numismatis significat mensuram ponderis, & materiæ veritatem. Quàm igitur sit iniquum, quam detestabile, præcipue in Principe, sub eodem signo pondus minuere, quis sufficeret explicare? De hoc enim ad istud propositum Cassiodorus libro Variarum inquit: *Quid enim tam nepharium, quam vt præscriptionibus liceat etiam in ipsa certi æqualitate peccare, vtque proprium datum, hoc per fraudes noscatur esse corruptum.* Idemque lib. I. cap. X. *Talia igitur secreta violare, sic certissima velle confundere, nonne veritatis ipsius videtur esse crudelis ac fœda laceratio? Exerceantur negociatores in mercibus:*

mercibus: emantur latè quæ vendantur angustius. Constet populis pondus ac mensura probabilis: quia cuncta turbantur, si integritas cum fraudibus misceatur. Date [illegible] fidem, & aufer[illegible] ipsa re. Trade libram, & aliquid inde, si potes, imminue. Cuncta ista (nominibus ipsis constat esse prouisum) aut integra tribuis, aut non ipsa quæ dicuntur, exsoluis. Non potestis omnino, non potestis nomina integritatum dare & scelestas imminutiones efficere. Adhuc autem Princeps per hunc modum sibi posset adquirere pecuniam aliam, & pecunia aliena potest mouere ad mutationem huiusmodi faciendam. Recipit enim numismata boni ponderis, & ex eis acciperet & fabricaret numismata cum tempore mutilato pondere. Et hoc non est aliud, quam quod in multis locis sacræ scripturæ prohibetur à Deo: *Vide* (ait Sapiens) *pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile apud Deum.* Et in Deuteronomio dicitur, *quod Deus abominatur eum qui facit hæc.* Et ideo diuitiæ taliter congregatæ in malum Domini sui, consumuntur in breui, quia (sicut ait Tullius) *male parta male dilabuntur.*

Prouerb. 20. 10

Deuter. 25. 15.

De mutatione materiæ Monetarum.

CAPVT XIII.

AVt materia numismatis est simplex, aut mixta, vt patuit ex capitulo tertio. Si simplex, ipsa potest propter defectum dimitti: vt si nihil aut modicum auri possit inueniri, oportet ipsum desinere monetari; & si de nouo reperiretur sufficiens abundantia eius, incipiendum esset facere monetam ex ipso, sicut aliquotiens fuit factum. Rursus aliqua materia deberet dimitti monetari propter abundantiam excessiuam. Propter hoc enim ærea moneta olim recessit ab vsu, vt dictum fuit in eodem Capitulo tertio. Sed huiusmodi causæ eueniunt rarissimè: & in nullo alio relinquenda est, vel assumenda nouiter pura siue simplex materia monetarum. Si autem in tali materia sit mixtio, ipsa debet fieri solum in minus precioso metallo per se monetabili (vt probatum fuit in eodem capitulo tertio) & in nigra moneta, vt cognoscatur purum à mixto. Hæc etiam mixtio debet esse secundum certam proportionem, sicut decem de argento contra vnum, vel contra tria de alio metallo, vel aliquo modo, sicut expedit,

secundum

ſecundum prius dicta in capitulo tertio. Et iſta proportio poteſt mutari propter aliquam proportionem ſeu variationem realem in natura materiæ vel æquiualentis: & dupliciter. Aut propter defectum materiæ, ſicut qui non haberet argentum, niſi multum notabiliter minus quam ante, tunc poſſet diminui proportio argenti ad reliquum metallum in nigra moneta: aut ſi haberetur de argento abundanter pluſquam ante, tunc plus de eo deberet poni in illa mixtione. Sed (ſicut prædictum eſt) iſtæ cauſæ valde raro contingunt, & ſi forſan talis caſus aliquotiens euenerit, adhuc huiuſmodi proportionis ſiue mixtionis mutatio facienda eſt per Communitatem ad maiorem ſecuritatem habendam, & deceptionis malitiam euitandam: ſicut de mutatione proportionis monetarum dictum eſt in capitulo X. In nullo verò alio caſu debet mutari mixtio talis ſiue proportio mixtionis, potiſſimè nunquàm poteſt hoc licere Principi, propter rationes tactas in capitulo præcedenti, quæ de directo faciunt ad propoſitum. Quoniam impreſſio monetæ eſt ſignum veritatis materiæ, & huiuſmodi mixtionis. Hanc igitur mutare, eſſet monetam falſificare. Propter quod in quibuſdam nummis inſcribitur nomen Dei, vel B. Virginis, vel alicuius Sancti, & ſignum Crucis: quod fuit inuentum & antiquitus inſtitutũ in teſtimonium veritatis monetæ in materia & pondere. Si igitur Princeps ſub iſta inſcriptione immutet materiam ſiue pondus, ipſe videtur tacitè mendacium & periurium committere, falſum teſtimonium perhibere, ac etiam præuaricator fieri illius præcepti legalis quo dicitur, *Non aſſumes nomen Dei in vanum.* (*Exod. 20. 7.*) Etiam ipſe abutitur hoc vocando monetam. Nam ſecundum Hugutionem, *Moneta dicitur à monee*, quia monet ne fraus in metallo vel pondere fiat. (*Moneta etymon.*) Rurſum Princeps per hunc modum ad ſe poſſet trahere populi ſubſtantiam indebite, ſicut fuit dictum de mutatione ponderis in priori capitulo, & multa alia inconuenientia ſequerentur. Immo pro certo iſta falſitas eſſet peior quàm in mutatione ponderis: quia magis eſt ſophiſtica, & minus perceptibilis, & magis poſſet nocere & plus lædere communitatem. Et propter hoc, vbi fit talis mutatio vel nigra moneta, Communitas debet cuſtodire penes ſe, in loco, vel locis publicis,

publicis, exemplar istius proportionis, & qualitates mixtionis, pro vitandis periculis; ne videlicet Princeps (quod absit) vel Monetarii mixtionem huiusmodi occultè falsificarent. Sicut etiam apud Communitatem seruantur quandoque aliarum mensurarum exemplaria.

De mutatione composita Monetarum.

CAPVT XIIII.

MVtatio composita est, quando plures mutationes simplices implicantur in vnam, sicut qui mutaret simul proportionem monetæ vel mixtionem materiæ, vel cum hoc etiam pondus. Et hic quandoq. multiplicantur combinationes possibiles mutationum simplicium superius positarum. Et quoniam nulla mutatio simplex debet fieri, nisi propter reales & naturales causas iam dictas, quæ rarissimè accidunt; sciendum quod adhuc rarius, imo fortè nunquam, contingit vera occasio faciendi mutationem monetæ compositam. Et si forsan contingeret, adhuc fortiori ratione quam de simplici, talis mutatio composita nunquam debet per Principem fieri, propter pericula & inconuenientia prius tacta: sed per ipsam Communitatem. Nam si ex mutationibus simplicibus indebitè factis tot abusiones sequuntur, sicut prædictum est ante; multo maiores & peiores sequerentur ex compositis. Namque debet esse vera & iusta in substantia & pondere, quod nobis signatum est in sacra scriptura, vbi de Abraham dicitur, *Quod ipse emit agrum, pro quo dedit siclos* CCCC. *argenti probatæ monetæ publicæ.* Si igitur ipsa foret bona, & non mutaretur indebitè, cum ipsa sit longo tempore durabilis, non oporteret de ea multum fabricare, nec plures monetarios ad expensas Communitatis habere. Et in hoc esset vtilitas communis, sicut tactum fuit capitulo VII. Vniuersaliter igitur ex præmissis concludendum est, quod nulla mutatio monetæ, siue simplex, siue composita est sola Principis auctoritate facienda: & maximè vbi hoc vellet facere propter emolumentum & lucrum ex tali mutatione sumendum.

Quod lucrum quod prouenit Principi ex mutatione monetæ, sit iniustum.

CAPVT XV.

C Videtur

VIdetur mihi, quod principalis & finalis causa, propter quam princeps vult sibi assumere potestatem mutandi monetas, est emolumentum vel lucrum, quod inde potest habere: aliter enim frustra faceret tot & tantas mutationes. Volo igitur adhuc plenius ostendere, quod talis adquisitio est iniusta. Omnis enim mutatio monetæ, præterquam in rarissimis, accipit simpliciter inuoluntariè pecuniam subditorum, quod prohibet cursum prioris monetæ, melioris forte, & quam quilibet plus vellet habere quàm aliam: deinde præter necessitatem absque vtilitate, quæ ex hoc posset prouenire subditis, ipse reddit eis pecuniam minus bonam. Etsi faciat meliorem quam ante, hoc tamen est, vt deterioretur inposterum, & tribuat eis minus æquiualenter de bona quàm receperat de alia. Et qualitercunque sit, ipse retinet profectò partem pro se. In hoc igitur quod ipse supra pecuniam recipit incrementum, contra & præter naturalem ipsius vsum, ipsa adquisitio par est ipsi vsuræ, & peior quàm vsura: eo quod est minus voluntaria vel magis contra voluntatem subditorum, & absque hoc quod possit eis proficere, & præter necessitatem penitus. Et quoniam lucrum fœneratoris non tantum excedit, nec ita præiudiciabile generaliter multis, sicut istud quod contra & supra totam Communitatem impositum, non minus tyrannicè quam dolosè, ita vt sit mihi dubium, an potius debeat dici violenta prædatio, vel actio fraudulenta.

Quod tales mutationes monetarum, quantum est ex se, non sunt permittendæ.

CAPVT XVI.

ALiquotiens ne peius eueniat, & pro scandalo euitando, permittuntur in Communitate aliqua inhonesta & mala, sicut lupanaria publica. Aliquando etiam pro aliqua necessitate vel oportunitate permittitur aliqua negotiatio vilis, sicut est ars Campsoris, vel etiam praua, sicut est vsura. Sed de tali mutatione monetæ pro lucro accipiendo, non apparet aliqua causa mundi, quare tantum lucrum debeat an possit admitti. Quoniam per istud non euitatur scandalum, sed.

ſed potius generatur (vt patet ſatis ex octauo Capitulo) & multa inconuenientia inde ſequuntur, quorum aliqua iam tacta ſunt, & adhuc aliqua poſtea videbuntur, nec eſt aliqua neceſſitas ſiue oportunitas hoc faciendi, neque poteſt reipublicæ expedire. Cuius rei manifeſtum ſignum eſt, quod mutationes huiuſmodi ſunt nouiter adinuentæ, ſicut iam tactum eſt in Capitulo præcedenti. Nunquam enim ſic factum eſt in ciuitatibus aut regnis olim proſperè gubernatis, nec vnquam reperi hiſtoriam quæ de hoc faceret mentionem, hoc excepto, quod in quadam epiſtola Caſſiodori ſcripta nomine Theodorici Regis Italiæ, vna parua mutatio in pondere facta, duriſſimè reprehenditur, & multum efficaciter reprobatur, quam quidam Arcarius fecerat pro quibuſdam ſtipendiariis perſoluendis. Vnde prædictus Rex Boëtio de hoc ſcribens, inter cætera dicit: *Quapropter prudentia veſtra lectionibus erudita dogmaticis ſceleſtam falſitatem à conſortio veritatis eiiciat, ne cui ſit appetibile de illa integritate ſubducere.* Et quibuſdam interpoſitis rurſum inquit: *Mutilari certè non debet, quod laborantibus datur, ſed à quo actus fidelis exigitur, compenſatio immminuta præſtetur.* Si verò Italici ſeu Romani tales mutationes finaliter fecerunt, ſicut videtur ex quadam praua moneta veteri, quæ quandoque reperitur in campis; hoc fuit fortè vna de cauſis, quare eorum nobile dominium deuenit ad nihilum. Sic igitur patet, quod iſtæ mutationes tam malæ ſunt, quod de natura ſua non ſunt aliquatenus permittendæ. *Lib.1. Epiſt.10.*

De quibuſdam inconuenientibus tangentibus Principem, quæ ſequuntur ex permutationibus monetarum.

CAPVT XVII.

MVlta & magna inconuenientia oriuntur ex taliter mutando monetas, quorũ aliqua principaliùs reſpiciunt Principem, alia totã Communitatẽ, & alia magis partes ipſius Communitatis. Vnde breui tempore nuper tranſacto quam plurima talia in regno Franciæ viſa ſunt euenire, aliqua etiã iam tacta ſunt ante, quæ tamen expedit recitare. Primo namque nimis turpe & nimis deteſtabile eſt Principi, fraudem

committere, monetam falsificare, aurum vocare, quod non est aurum, & libram quod non est libra, & sic de talibus prius positis XII. & XIII. capitulis, Praeterea sibi incumbit falsos monetarios condemnare. Quomodo igitur potest satis erubescere, si reperiatur in eo, quod in alio deberet turpissima morte punire. Rursum magnum scandalum est (sicut dicebatur VIII capitulo) & vile Principi, quod moneta regni sui nunquam in eodem statu permanet, sed de die in diem variatur: & quandoque in vno loco plus valet quam in alio pro eodem tempore. Item saepissimè ignoratur, his durantibus temporibus vel mutationibus, quantum valeat hoc numisma vel illud, & hoc mercari seu emere vel vendere monetam, seu altercari de precio, quod est contra eius naturam: & sic rei quae debet esse certissima, nulla est certitudo, sed potius incerta & inordinata confusio in vituperium principatus. Item absurdum est, & penitus alienum à regia nobilitate, prohibere cursum verae & bonae monetae regni, & ex cupiditate praecipere, imò cogere subditos ad vtendum minus bona moneta, quasi velit dicere, quod bona est mala, & è conuerso: cum tamen talibus dictum est à Domino per
Isai 5 20. Prophetam, *Vae vobis, qui bonum dicitis malum, & malum bonum.* Et iterũ dedecus est principi, irreuereri praedecessores suos, nam quisque tenetur ex Dominico praecepto *honorare parentes suos.* Ipse autem progenitorum videtur detrahere honori, quando bonam monetam eorum abrogat, & facit eam cum eorum imagine scindere: & loco monetae aureae, quam ipsi fabricauerunt, facit monetam aeneam in parte. Quod vide-
3.R 3 14.a tur fuisse figuratum in Libris Regum, vbi legitur, quod Rex Roboam abstulit scuta aurea, quae fecerat pater eius Salomon, pro quibus fecit scuta aenea. Idem quoque Roboam perdidit bis quinque partes populi sui, pro eo quod ipse voluit in principio nimis grauare subditos aut subiectos. Adhuc autem Rex debet nimis abhorrere tyrannica facta, cuiusmodi est mutatio talis, vt praedictum est saepe; quae etiam est praeiudiciabilis & periculosa pro tota posteritate regali, sicut in sequentibus diffusius ostendetur.

De

De aliis inconuenientibus totam Communitatem tangentibus.

CAPVT XVIII.

INter multa inconuenientia ex mutatione monetæ, quæ totam communitatem respiciunt, vnum est quod prius tangebatur principaliter Cap. XVIII. quod Princeps per hoc posset ad se trahere quasi totam pecuniam Communitatis, & nimis depauperare subiectos. Et quemadmodum quædam ægritudines chronicæ sunt aliis periculosiores, & sunt minus sensibiles: ita talis exactio, quanto minus percipitur, tanto periculosius exercetur: non enim ita citò grauamen ipsius sentitur à populo, sicut per vnam aliam collectam. Et tamen nulla ferè talia potest esse grauior, nulla generalior, nulla maior. Rursum aurum & argentum propter tales mutationes & impeiorationes minorantur in regno: quia non obstante custodia defertur ad extra, vbi carius collocantur. Homines enim conantur suam monetam portare ad loca, vbi eam credunt magis valere. Ex hoc igitur sequitur diminutio monetarum materiæ in regno. Item illi de extra regnum alioquoties contrafaciunt & afferunt similem monetam in regno, & sic attrahunt sibi lucrum, quod Rex ille credit habere. Adhuc etiam forsitan ipsa monetæ materia in parte consumitur, fundendo eam & refundendo totiens, quotiens solet fieri, vbi mutationes exercentur. Sic igitur materia monetabilis tripliciter minuitur occasione mutationum prædictarum. Igitur non possunt, vt videtur, longo tempore permanere, vbi non permaneret materia monetabilis muneris ab aliunde: & sic tandem Princeps non haberet vnde facere posset sufficienter de bona moneta. Item propter istas mutationes, bona mercimonia seu diuitiæ naturales de extraneis regnis cessant ad illud afferri, in quo moneta sic mutatur: quoniam mercatores cæteris paribus prædiligunt ad ea loca transire, in quibus recipiunt monetam certam & bonam. Adhuc autem intrinsecus in tali regno negociatio mercatorum per tales mutationes perturbatur & mutlipliciter impeditur. Præterea his mutationibus durantibus, reditus pecuniæ, pensiones annua-

les, locagia, censuræ, & huiusmodi similia, non possunt bene & iustè taxari seu appreciari, vt notum est. Item nec pecunia potest securè mutuò dari seu tradi, & sic de talibus: imo multi nolunt ista charitatiua subsidia facere, propter tales mutationes. Et tamē sufficientia materiæ monetabilis, mercatores, & omnia prædicta alia sunt necessaria, aut valde bona & vtilia naturæ humanæ: & opposita sunt præiudiciabilia, & nociua toti Communitati ciuili.

De aliis inconuenientibus partem Communitatis tangentibus.

CAPVT XIX.

QVædam partes Commutatis occupatæ sunt in negociis honorabilibus, aut vtilibus toti Reipublicæ, vt in diuitiis naturalibus, ad crescendum vel tractandum pro necessitate Communitatis, cuiusmodi sunt viri Ecclesiastici, iudices, milites, agricolæ, mercatores, artifices, & similes. Sed alia pars auget diuitias proprias vili quæstu, sicut Campsores, mercatores monetæ, siue Billonatores: quæ quidem negociatio turpis est, prout dictum est supra Cap. XV. Isti igitur qui sunt quasi præternecessarii reipublicæ, & quidam alii, sicut receptores & tractatores pecuniæ, & tales, capiunt magnam partem emolumenti siue lucri prouenientis ex mutationib. monetarum, & maliciosè aut fortuitò ditantur inde contra Deum & iustitiam: quoniam ipsi sunt tot diuitiis immeriti & tantis bonis indigni. Alii verò depauperantur ex hoc, qui sunt optimæ partes illius Communitatis. Ita quod Princeps plures & meliores subditos per istud damnificat, & sic nimiū grauat, & tamē non totū lucrum venit ad ipsum, sed magnam partem habent isti prædicti, quorum negociatio vilis est, & admixta cum fraude. Rursum quando Princeps nō facit præscire populo tempus & modum futuræ mutationis monetæ, quam intendit facere; aliqui per cautelas aut amicos hoc secretè prouident, & tunc emunt mercimonia pro moneta debili, & postea vendunt pro forti, & subito fiunt diuites, & nimium lucrantur indebite contra naturalis mercationis legitimū cursum. Et videtur esse quodammodo genus monopolii,

lii, in præiudicium & damnum totius Communitatis residuæ. Adhuc per tales mutationes necesse est reditus taxatos ad numerum pecuniæ, aut iniuste minui, aut iniustè saltem augeri, sicut tactum fuit ante Capitulo de mutatione appellationis monetæ. Item Princeps per tales diuersificationes & sophisticationes monetarum dat malis occasionem faciendi falsam monetam, aut quia nõ nimis est contra conscientiam eorum ipsam falsificare, ex quo apparet eis quod ista facit Princeps, aut quia nimis est contra conscientiam ipsorum, quod falsitas non ita cito deprehenditur, & possunt facilius, & plura mala his stãtibus perpetrare, quàm si semper curreret bona moneta. Præterea istis stantibus quam innumerabiles perplexitates, obscuritates, errores & inextricabiles difficultates accidunt in computis, de misiis & receptis. Oriuntur etiam inde materiæ litigiorum, & variæ quæstiones: malæ persolutiones debitorum, fraudes, inordinationes, abusiones quam plurimæ, & inconuenientia multa, quæ nescirem explicare; forsan quibusdam enumeratis prius maiora & deteriora, & hoc est difficile videre.

Si Communitas potest facere tales mutationes monetæ.

CAPVT XX.

CVm moneta sit Cõmunitatis, vt ostensum est Capitulo sexto, videtur quod ipsa Communitas possit de ea ad libitum ordinare. Igitur etiam eam potest quomodo libet variare, & super hoc capere quantum placeat, & de ea facere sibi potestatem mutandi monetas. Sed hoc est contra honorem regni, attentare principem exhæreditare, immo ipsum depauperare, & statu magnificentiæ destituere, non tam iniustè, quàm etiam vituperabiliter pro tota Communitate, quam non decet habere Principem, nisi excellenti statu pollentem.

Responsio

Si igitur ipsa decepta, vel minis territa vel coacta, concedat Principi tales mutationes, non aduertens inconuenientia quæ sequuntur, & ex hoc seruiliter se fore subiectam; ipsa potest hoc statim vel quomodolibet reuocare. Item res quæ spectat alicui quasi de iure naturali, non potest ad alterum iustè transferri. Si autem pertinet moneta ipsi liberæ Communitati, (vt satis patet ex Capitulis primo & sexto) sicut igitur communitas non potest cócedere Principi, quod ipse habeat auctoritatem abutendi vxoribus ciuium quibuscunque voluerit; ita non potest ei dare tale priuilegium monetarum, quo ipse non posset nisi male vti, exigendo tale lucrum, supra mutationem earum: vt satis patet ex multis capitulis. Per hoc etiam patet illud, quod addebatur vlterius de communitate non concordi in ordinatione monetæ, quod potest condescendere, quantum ad hoc, in Principis arbitrio. Dico quod sic potest quantũ ad aliqua, & ad tempus, sed non sibi concedendo potestatem tanti lucri sumendi super indebitis mutationibus supradictis. Ad aliud argumentum sumptum ex Capitulo septimo, de hoc quod Princeps potest aliquod emolumentum habere super monetam: respondetur faciliter, quod hoc est quasi quædam parua pensio & limitata, quæ non potest quantumlibet augeri per mutationes prædictas, sed stat sine mutatione quacunque. Ad aliud conceditur, quod Princeps potest habere reditus, & debet habere magnificum & honestissimum statum: sed isti reditus possunt & debent alibi assignari, & aliter sumi, quàm per tales immutationes indebitas, ex quibus tanta mala & tot inconuenientia oriuntur. Sicut est ante ostensum. Posito etiam, quod aliqua istorum redituum essent supra monetam: ipsa tamen debent esse certæ & determinatæ quantitatis, sicut supra quamlibet marcham quæ monetaretur, duo solidi, vel sic: & tunc istud esset absque quacunque mutatione, siue lucri augmento irrationabili & enormi, quod potest prouenire ex detestabilibus mutationibus sæpe dictis. De quibus finaliter concludendum est: quod Princeps non potest eas facere aut taliter lucrum accipere, nec de iure communi seu ordinario, nec de priuilegio siue dono, concessione, pacto, siue quauis alia auctoritate, vel alio modo quocunque, nec *Conclusio*

poteſt eſſe de ſuo dominio, nec ſibi quomodo libet pertinere. Imo illud ſibi denegare, non eſt ipſum exhæreditare, aut maieſtati Regiæ contraire: ſicut mentiuntur falſiloqui adulatores ſophiſtici, & reipublicæ proditores. Rurſum cum Princeps teneatur hoc non facere, ipſe non meretur habere aliquam penſionem ſeu dominium pro abſtinendo à tali abuſiua exactione: hoc enim aliud non videtur eſſe, niſi pretium redemptionis à ſeruitute, quod nullus Rex aut bonus Princeps debet à ſubditis exigere. Item ſuppoſito & non conceſſo, quod ipſe haberet priuilegium capiendi aliquid ſupra monetam pro faciendo eam bonam, & pro tenendo eam in eodem ſtatu: adhuc etiam ipſe deberet tale priuilegium perdere in caſu, in quo tantum abuteretur, quod ipſe mutaret & falſificaret monetam pro ſuo lucro, non minus cupidè quam turpiter agendo.

Quod Tyrannis non poteſt diu durare.

CAPVT XXII.

IN iſtis duobus Capitulis intendo probare, quod exigere pecuniam per tales mutationes monetæ, eſt contra honorem regium, & in præiudicium totalis regalis poſteritatis. Sciendum eſt igitur, quod inter principatum regium & tyrannicum hoc intereſt, quod tyrannis plus diligit & quærit proprium bonum quàm commune conferens ſubditorum, & hoc nititur, vt populum teneat ſibi ſeruiliter ſubiugatum: Rex autem è contrario, vtilitati priuatæ publicam præfert, & ſuper omnia, poſt Deum & animam ſuam, diligit bonum & libertatem publicam ſubditorum. Et hæc eſt vera vtilitas & nobilitas principatus: cuius dominium tanto eſt nobilius, tanto melius, quantò eſt magis liberorum ſiue meliorum, vt ait Ariſtoteles, & eo diuturnius, quo in tali propoſito intentio regis perſeuerat, dicente Caſſiodoro, *diſcipli-na imperandi eſt amare, quod multis expedit.* Quotiens enim regnum in tyrannidem vertitur, non longo tempore poſt cuſtoditur: quia per hoc ad diminutionem, translationem aut perditionem omnimodè properatur: maximè in regione temperata & remota à ſeruili barbaria, vbi ſunt homines conuerſatione, moribus & natura liberi, non ſerui, nec ſub tyrannide per conſuetudinem indurati, quibus ſeruitus fo-

cet

ret inexpediens, inuoluntaria, & oppressio tyrannica simpliciter violenta, igitur nō diu permansura. Quia sicut ait Aristoteles. *Violenta citissimè corrumpuntur.* ideo dicit Tullius, *quod nulla vis imperii tanta est, quod premente metu possit esse diuturna.* Et Seneca in Tragediis inquit, *Violenta imperia nemo continuat diu, moderata durant.* Vnde principibus destitutis improperabat Dominus per Prophetam dicens, *quod imperabant subditis cum austeritate & potentia.* Adhuc autem propositum declaratur aliter: ait enim Plutarchus ad Traianum Imperatorem, *quod Respublica est corpus quodammodo, quod diuini numinis beneficio veluti animatur, & summa æquitatis agitur nutu, & regitur quodam moderamine rationis.* Est igitur respublica siuę regnum, sicut quoddam corpus humanum, & ita vult Aristoteles V. Politicæ. Sicut igitur corpus malè disponitur, quando humores excessiuè fluunt in vnum eius membrum, quod sæpe ex hoc inflammatur, & nimium ingrossatur, reliquis exsiccatis & nimis attenuatis, tolliturque debita proportio, neque tale corpus potest diu viuere. Ita conformiter est de communitate vel regno, quando diuitiæ ab vna eius parte attrahuntur vltra modum. Communitas namque vel regnum, cuius partes principantes, in comparatione ad subditos, quantum ad diuitias, potentiam & statum, enormiter crescunt, est sicut monstrum vnum aut vnus homo, cuius caput est ita magnū & tam grossum, quod non potest à reliquo corpore sustentari. Quemadmodum igitur talis homo non potest se iuuare, neque sic diu viuere: ita neque regnum permanere poterit, cuius princeps trahit ad se diuitias in excessu, sicut fit per mutationes monetæ, vt patuit Capitulo xx. Rursum sicut in mixtione vocum non placet aut delectat æqualitas nimia vel indebita, quæ totam consonantiam destruit & deturpat: imo requiritur proportionata inęqualitas & commensurata, qua perseuerante eminent læti blanda modulamina chori. Sic etiam vtiliter, quo ad omnes partęs communitatis, æqualitas possessionum vel potentiæ non conuenit nec consonat, sed & nimia disparitas harmoniam reipublicæ dissipat & corrumpit, vt patet per Aristotelem v. Politicæ. Potissimè vero ipse Princeps, qui est in regno veluti tenor & vox principalis in cantu, si magnitudine excedat, & à reliqua communitate

Violenta non durant.

Ezech. 34.

 discordat,

discordat, regalis politiæ melos tunc erit turbatum. Propter quod secundum Aristotelem adhuc est alia differentia inter Regem & Tyrannum. Tyrannus enim vult esse potentior tota communitate cui præsidet violenter: Regis verò temperantia est tali moderamine moderata, quod ipse est maior atque potentior, quàm aliquis eius subditus, & tamen tota communitate inferior viribus & opibus, & sic in medio constitutus. Sed quia potestas regia communiter & leuiter tendit in maius: ideò maxima cautela adhibenda est & peruigil custodia, imò altissima & principalis prudentia requiritur ad eam præseruandam, ne labatur ad tyrannidem: præcipuè propter adulatorum fallacias, qui semper Principes ad tyranniam impulerunt, vt ait Aristoteles. Ipsi enim (vt in libro Hæster legitur) aures principum simplices, & ex sua natura alios existimantes, callida fraude decipiunt, & eorum suggestionibus regum studia deprauantur. Sed quoniam eos euitare aut extirpare difficile est, ipse Aristoteles dat aliam regulam, per quam regnum potest longo tempore conseruari. Et est, quod Princeps non multum amplificet dominium supra subditos, exactiones, captiones non faciat, libertates eis dimittat aut concedat, nec eas impediat, neque vtatur plenitudine potestatis, sed potentia iure & consuetudinibus limitata vel regulata. Pauca enim (vt ait Aristoteles) sunt iudicis vel principis arbitrio relinquenda. Aristoteles enim adducit exemplum de Theopompo Lacedæmoniorum Rege, qui cum multas potestates atque tributa populo remisisset, ab antecessoribus imposita, ipse quidem vxori ploranti & improperanti, *Turpe esse regnum minoris emolumenti filiis tradere, quam suscepisset à patre,* Respondit dicens: *Trado diuturnius.* O diuinum oraculum, O quanti ponderis verbum, & in palatiis regiis literis aureis depingendum. *Trado*, inquit, *diuturnius*, ac si diceret: *Plus auxi regni in duratione temporis, quàm sit diminutum moderatione potestatis.* Ecce plusquã Salomon hic. Nam si Roboam (de quo supra memini) à patre suo Salomone regnum sic compositum recepisset, & tenuisset, nunquam decem de duodecim tribus perdidisset, nec sibi improperatum fuisset: *Prophanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos* Eccles. 47. *tuos, & caeteris stultitiam tuam, vt faceres imperium bipertitum.* Sic igitur

igitur ostensum est, quod dominium quod ex regno in tyrannidem vertitur, oportet vt celeriter finiatur.

Quod capere lucrum ex mutatione monetarum, praiudicat toti regali potestati.

CAPVT XXIII.

DEclarare propono, quod mutationes prædictæ sunt contra honorem Regis, & generi regio præiudicant. Pro quo tria præmitto. Primò quod illud est in Rege vituperabile, & successoribus eius præiudiciabile, per quod regnum disponitur perditioni, aut vt ad alienigenas transferatur: nec Rex posset satis dicere vel flere, quàm esset infelix & miserabilis, qui per negligentiam suam aut per malum regimen eius aliquid faceret, vnde ipse vel hæredes sui perderent regnum tot virtutibus auctum, tanto tempore gloriosè seruatum. Necnon in periculo animæ suæ gloriosæ foret, si ex defectu sui populus pateretur tot pestilentias & calamitates & tantas, quot & quantæ solent accidere in dissipatione siue in translatione regnorum. Secundo suppono, quod per tyrannisationem regnum perditioni exponitur, sicut declaratum est in capitulo præcedenti. Et quoniam (sicut in Ecclesiastico scribitur) *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos*: Tyrannis autem iniuriosa est & iniusta. Cum hoc etiam (vt ad specialia descendam) absit, quod in tantum degenerarent Francigenarum corda libera, quod voluntariè serui fiant; ideoque seruitus eis imposita durare non potest. Quoniam si magna sit tyrannorum potentia, est tamen liberis subditorum cordibus violenta, & aduersus alienos inualida. Quicunque igitur dominos Franciæ ad huiusmodi regimen tyrannicum quocunque modo traherent, ipsi regnum magno discrimini exponerent, & ad terminum præpararent. Neque enim regum Franciæ generosa propago tyrannisare didicit, nec seruiliter subiici populus Gallicus consueuit. Ideo si regia proles à pristina virtute degenerat, procul dubio regnum perdet. Tertio suppono, tanquam iam probatum & sæpius repetitum, quod capere vel augere lucrum super mutatione monetæ, est factum tyrannicum, dolosum & iniustum, cum

Eccles. 10. 8.

etiam non possit continuari in regno, quod quidem regnum non sit iam, quo ad alia multa, in tyrannidē versum. Vnde nō solum inconuenientia sequuntur ex isto, sed oportet quædā mala alia esse præuia, alia concomitantia; quia hoc non potest à viris consuli, qui non sunt in intentione corrupti, atq; ad omnem fraudem & nequitiam tyrannicam consulendam parati, vbi viderent principem ad hoc inclinari vel posse flecti. Dico itaque recolligendo, quod res per quam regnum perditioni disponitur, turpis est, & præiudiciabilis regi: sed hoc est protrahi vel conuerti & hæredibus suis præiudiciabile, & hoc fuit primum suppositum in tyrannide, & hoc fuit dictum, & ad hoc vergitur per mutationes monetæ, vt dicitur tertium. Igitur exactio quæ fit per tales mutationes, est contra honorem Regis, & præiudiciabilis toti potestati regali, quod erat probandum. Hæc igitur, vt præmisi, sine assertione dicta sint cum correctione prudentum. Nam secundum Aristotelem, ciuilia negotia plerunque dubia & incerta. Si quis igitur amore veritatis inueniendæ his dictis voluerit contradicere vel contra scribere, bene faciet: & si male locutus sum, perhibeat testimonium de malo, sed cum ratione: ne ipse videatur gratis & voluntariè condemnare, quod non potest efficaciter impugnare.

M. GABRIELIS BYEL SPIRENSIS, S. THEOL. LICENTIATI ET IN SCHOLA TVBINGENSI LECTORIS ordinarii, Tractatus

DE MONETIS.

TRITHEMIVS ABBAS SPANHEIMENS. IN CATALOGO ILLVSTRIVM virorum Germaniæ, qui ingenio præstantes varia ſcripſerunt.

GABRIEL BYEL *ex Spira, ordinis Clericorum in communi viuentium, vir in diuinis ſcripturis longo ſtudio exercitatus, & in ſeculari philoſophia (quam Ariſtotelicam vocant) egregie doctus, ingenio clarus, ſermone compoſitus, vita & conuerſatione deuotus: qui Gymnaſio Tubingenſi ab exordio inſtitutionis ſuæ multis annis præfuit, ubi tam in Philoſophia quàm in ſacris literis claros diſcipulos erudiuit. Scripſit quædam non ſpernenda opuſcula, quibus nomen ſuum notificauit. E quibus ordinarie legit in præfata Academia, in Canonem Miſſæ volumen grande lib.* I. *De paſſione Domini lib.* I. *Sermones quoque multos, lib.* I. *Iam ſcribere dicitur ſuper Sententias opus ſingulare & vtile, quod ſuis modò diſcipulis legit. Viuit adhuc prope ſeptuagenarius, & capto fortiter perſtat in ſtudio. Sub Maximiliano Rege Romanorum, anno Domini* MCCCCXCV. *Indictione* XIII.

PRo dicendorum intelligentia primum omnium animaduertendum venit, quod secundum Philosophum v. Ethicor. cap. IX. & I. Politicæ, numismatis vsus est ex necessitate inuentus. Cum enim res ad inuicem immediatè commutari non possent, homines autem sine earum commutatione (pro eo quod non omnibus omnia necessaria abundant) sustentari non possent, præsertim in tanta multitudine hominum; tum propter distantiam locorum in quibus consistunt res commutandæ, & difficilem eorum transportationem, tum propter distantiam temporum fututorum, quo res sine sui corruptione seruari non possunt; tum ex multiplici hominum indigentia, propter quam necesse est rem commutandam esse in multa diuisibilem, vt multa necessaria per eam à diuersis comparentur; tum ex quorundam commutabilium indiuisibilium ad hominum vtilitatem magnum valorem, vt sunt equi, domus, & ita de pluribus aliis: ideo necesse fuit inuenire medium aliquod quantitate paruum, vt eius detractio siue diminutio facile perpendatur, & de loco ad locum transferatur: charactere Principis vel auctoritatem habentis insignitum; ne si quilibet monetaret, valor eius variaretur, nec dinosceretur aut falsificaretur, & per hoc æqualitas in commutationibus non seruaretur: pondere certum, vt precium eius sit certum: sine corruptione permansiuum, vt sit futuræ prouisioni aptum: materia pretiosum, vt multus valor posset in paruo loco reponi, & facile de loco ad locum transportari: in plura minora secundum valorem diuisibile, propter indigentes multis rebus parui precii. Tale autem est numisma, vel ex sui natura, vel hominum instituto ad humanam indigentiam relato. Quanto enim re aliqua plus indiget humana necessitas, tanto plus valet, & valor precii crescit. Et ideo secundum relationem numismatis & commutabilium ad indigentiam humanam, numisma est certa mensura omnium commutabilium & vænalium.

Secundo notandum, quod moneta tribus modis falsari potest, secundum quod tria sunt de substantia monetæ, scilicet materia metallata, quantitas ponderis, & publica forma,

vt dicit gl. & Panormit. in c. quanto. de iureiur. Et in quolibet horum committi potest falsitas: in substantia, quia non seruatur liga legitima (Liga, id est species mixturæ, vel gradus metalli) propter admixtionem materiæ vilioris cum materia consueta in quantitaté excessiua. In pondere, quia non habet legitimum pondus. Pro quo notandum, quod tantum debet esse pondus in numismate, quantum fuit in materia de qua moneta est fabricata, saltem deductis expensis & labore, secundum Innocent. licet non secundum Bart. secundum quem expensæ debét solui de publico. Motiuum Innocentii est, quia nemo suis expensis tenetur eam facere: & hæc opinio Innocentii tenetur communiter, vt vult Angelus in summa, in verbo Falsarius. Quod sic intelligo. Pondus legitimum est pondus consequens quantitatem substantiæ pro tali numismate iustè determinatum. Gratia exempli, si pro Floreno determinetur aurum ponderans dragmam, quæ est octaua pars vnciæ; tunc florenus falsus est ex pondere, si non habet quantitatem auri ponderantem dragmam. Vnde cum pondus sequatur naturaliter quantitatem substantiæ rei, & quantitas substantiæ non distinguatur à substantia; falsificatio ponderis est diminutio substantiæ, siue hæc fiat per rasuram monetæ, siue subtilius per aquam artificialem corrosiuam, aut alio modo difficili visui apprehensibili. Est autem determinatio ponderis iusta, quando determinatur pondus tanti valoris pro moneta, quanti est pondus materiæ eius non monetatæ: ita quod tantum debet valere moneta ex pondere, quantum valeret sua materia non monetata, & non plus, saltem deductis expensis monetandi, vt supra dictum est. In forma committitur falsitas, quando mutatur nomen, signum aut imago eius qui monetauit. Vnde habens auctoritatem monetandi præfigit certam formam monetæ, imaginem aliquam, circumscriptionem, aut aliquod signum. Et si aliquid huius formæ præfinitæ omittitur, aut aliquid additur, moneta in forma falsificatur. Est autem forma monetæ quædam testificatio veritatis & iustitiæ ipsius monetæ, quod scilicet sit veræ substantiæ & iusti ponderis, vt dicit Nicolaus Orem. in suo Tractatu de moneta. Vnde frequenter in moneta Christianorum Principum vel Communitatum ponitur imago Dei vel alicuius Sancti, & nomen eius, aut signum

Liga. L'alloy.

gnum Crucis: quod antiquitus fuit institutum in testimonium veritatis monetæ in materia & pondere. Et subdit: Si ergo Princeps sub ista inscriptione mutet materiam siue pondus, ipse videtur tacitè mendacium & periurium committere, ac falsum testimonium perhibere. Ipse enim abutitur hoc vocabulo Moneta: nam dicitur Moneta secundum Hugutionem à moneo, quia monet ne sit fraus in metallo vel pondere. Hæc ille.

Tertio notandum circa mutationem monetæ, quod huiusmodi mutatio multipliciter potest fieri, quandoque in materia, quandoque in forma, quandoque in valore, quandoque in nomine. In materia, vt quando propter defectum materiæ aut nimiam abundantiam fieret noua moneta in alia materia, aut in alia mixtione seu liga prioris materiæ. In forma, vt quando mutatur impressio figuræ in imagine aut charactere, aut circumscriptione. In valore, vt quando mutatur substantia, mixtio vel pondus; aut his manentibus statuitur alius valor: vt si hactenus florenus valuit XX. grossos, & statuatur vt de cætero valere debeat XVIII. aut XXIIII. In nomine, vt si nomina mutentur, vel accidentalia, puta quæ non important pondus vel valorem monetæ, vt sunt nomina auctoris aut loci in quo moneta facta est, & huiusmodi; vel essentialia, puta quæ imposita sunt determinato valori aut ponderi, vt sunt Obolus, Denarius, Solidus, Libra, Florenus. Et hæ mutationes fieri quandoque possunt currente priori moneta in suo valore, quandoque reprobata priore ac prohibita. Item quandoque ex rationabili causa propter necessitatem & vtilitatem reipublicæ. Et secundum hæc mutatio quandoque fieri potest licitè, quandoque culpabiliter & illicite.

CONCLVSIO I.

Falsificans monetam in substantia, forma vel pondere, peccat mortaliter, si illud faciat in damnum proximi vel reipublicæ. Hæc conclusio est Hostiens. & Doctorũ communiter, & satis patet ex tex. c. quanto. De iureiur. vbi dicitur quod iuramentum de obseruatione falsæ monetæ factum non ligat; cum iuramentum non debeat esse vinculum iniquitatis. Ergo seruare falsam monetam est iniquum, & multo magis falsificare

erit iniquum. Quod autem sit mortale peccatum, patet quia est furtum, quia ablatio rei alienæ inuito domino, vt infra dicetur. Patet etiam per Extrauagantem Iohannis XXII. qui excommunicat omnes tales in regno Franciæ. Quod autem autem teneatur restituere, probatur per commune medium: quia omnis iniustè damnificans tenetur restituere damnificato, si habere potest. Sed fraudulenter falsificans numisma damnificauit proximum aut rempublicam iniuste. Ergo tenetur restituere damnificato, si haberi potest, aut pauperibus si damnificatus haberi non potest. Maior patet per c. si culpa. de iniur. & dam. da. Minor autem satis patet. Et dicitur notanter in conclusione, *In damnum proximi.* Quia si quis falsificaret in forma tantum, vnde non minueretur valor, quia sic non damnificaret, non peccaret. Sic si numisma non exponendum rumpendo aut radendo falsificaret..

CONCLVSIO II.

Mutans monetam in damnum reipublicæ, tenetur damnum illatum restituendo compensare. Probatur, quia talis iniustè damnificat. Ergo &c. Antecedens probatur, quia inferens damnum in re non sua iniustè damnificat. Sed mutans numisma in damnum reipublicæ infert damnum in re non sua, quia in re publica quæ non est sua. Dicitur notanter, *in damnum reipublicæ*: quia si mutaretur ex rationabili causa ad vtilitatem reipublicæ, restitutio non haberet locum. Sunt autem tres causæ, propter quas licitè mutatur moneta. Prima est falsitas introducta, vt si aliquis extraneus Princeps aut falsarius malitiosè effigiaret vel contrafaceret formularia seu modulos, per quos introducere niteretur monetã sophisticã minoris valoris quã sit moneta vetus, cuius tamen differẽtia à vera moneta cognosci à populo non posset; & alio modo conuenienti moneta falsa exterminari non posset: expediret mutare formam monetæ veræ, seruato tamen iusto valore, vt sic discerni posset ab introducta falsa. Secunda causa, si antiqua moneta nimia vetustate esset peiorata, ac in substantia & pondere imminuta per continuam attrectationem: tunc cudenda esset moneta noua cum differentia à priore in iusto pondere, & prohiberi posset cursus prioris monetæ vetustæ

sic.

ſic diminutæ. Tertia cauſa eſt raritas materiæ, propter quam materia haberi non poſſet tali precio quo prius ſolita eſt haberi. Tunc mutanda eſſet moneta, vel conſtituendo alium eius valorem reſpectu monetæ alterius materiæ, vel fabricando nouam minoris ponderis & æqualis precii cum priore. Exempli cauſa, ſi drachma auri non monetati ex aliqua cauſa aſcenderet in precio, ita quod tunc valeret xxx. groſſos argenti, quæ prius valuit xx. tunc aut florenus habens drachmam etiam mutandus eſt in valore, ita vt etiamſi prius valuit xxi. groſſos, tunc ſtatueretur vt valeret xxxi. groſſos: aut cudenda eſſet noua moneta auri minoris ponderis, tanti tamen vt valeret iuſto precio xx. groſſos, & hoc cum differentia aliqua in forma à priori, vt noſci poſſet. Et hoc forſan magis expediret reipublicæ, vt precia in cæteris rebus conſtituta ac reditus & pecuniarii cenſus manerent non mutata, & ſic nemo fraudaretur. Et parum referret, vtrum veteris monetæ curſus maneret, vel prohiberetur, ſeruata tamen debita proportione ad alias monetas inferiores, & ad precium rerum vænalium ac redituum ſiue cenſuum. Poſſet addi quarta cauſa, lucrum ex noua moneta conſequens; non monetarii, ſed Reipublicę expediens vel neceſſarium: de quo infra in dubiis dicetur. Extra hos caſus mutatio monetæ in valore reproba eſt & iniuſta, quia Reipublicæ damnoſa & ſpoliatina ſubditorum, ſiue hæc mutatio fiat in materia, pondere, voluntariæ conſtitutionis, valoris, aut nominum eſſentialium. Si verò mutatio fieret in ſola forma, aut nominibus accidentalibus, & non in valore; hoc ſine præiudicio reipublicæ tolerari poſſet. Et quamuis ſi fieret ex ſuperbia, pompa, vel aliorum contemtu, aut alia ſiniſtra intentione, non careret peccato; tamen non requireretur alia reſtitutio. Vnde conſilium eſt, quod non fiat mutatio monetæ niſi ex magna & rationabili neceſſitate.

CONCLVSIO III.

Expendens ſcienter monetam falſam pro vera & iuſta, falſarius eſt, & tenetur reſtituere illata damna. Probatur quod ſit falſarius, quia falſitatem inducit ad proximi deceptionem. Ergo &c. Conſequentia tenet ex genere nominis falſarii. Antecedens

est manifestum. Quod teneatur restituere, probatur quia infert damnum personæ & reipublicæ: ergo tenetur ad restitutionem. Consequentia tenet ex communi medio, & præallegato c. si culpa. de iniur. & dam. da.

CONCLVSIO IV.

Expendens scienter monetam non currentem, aut alias minus valentem pro bona & currente, fraudat proximum, & tenetur restituere. Hæc conclusio in sententia est Angeli in summa, & Antonini, & probatur eisdem modis quibus prior. Talis enim decipit proximum, dando sibi malum pro bono. Et dicitur notanter in duabus præcedentibus conclusionibus, *Scienter*: quoniam si ignoranter fieret, vt quia ignoraret valorem monetæ quam expendit, excusaretur saltem à peccato, & etiam à restitutione, durante ignorantia. Si tamen postea sciuerit, tenebitur ad restitutionem: quia siue scienter siue ignoranter damnifico proximum, teneor eum releuare indemnem, postquam mihi innotuerit illatum damnum. Nec excusatur expendens in casu vtriusque conclusionis, per hoc quod huiusmodi moneta falsa vel minus valens data est sibi pro bona: quia culpa alterius & error proprius non debet alteri nocere. Culpa enim suos debet tenere auctores, & non alios. Imputet ergo sibi recipiens monetam falsam, confractam, vel integram, sed minus valentem pro bona, quod non cautè prospexit. Si verò scienter recepit malam, vt expenderet pro bona, aggrauatur peccatum & restitutionis debitum.

CONCLVSIO V.

Transferens monetam de certo loco, vbi minoris valoris æstimatur, ad locum vbi magis valet; non peccat, si non alias fraudem committat. Hæc est Antonini: probatur secundum eum, quia licet cuilibet ex industria sine alterius damno lucrum quærere, sed transferens in casu conclusionis monetam, eam emendo vbi minus valet, ad locum vbi plus valet, vtitur sua industria sine damno alicuius: cum tamen eam non radit, aut diminuit. Ergo &c.

SEQVVNTVR TRIA DVBIA.

Circa prædicta dubitatur primò, *Quis habeat cudere monetam?* Ad quod respondet Panormit. in d. c. quanto, Quod solus Princeps, id est Imperator, nemo alius, sine concessione Principis. Quod tamen intelligit, nisi Princeps inferior, aut ciuitas, aut generaliter inferior potestas hoc præscripsisset per tantum tempus, de cuius initio non extaret memoria, vt in c. super quibusdam. De verb. signif. vel nisi esset talis qui præscripsisset iura Imperii, sicut Reges Hispaniæ, qui dicuntur non subiacere Imperio, quia regnum à faucibus Barbarorum eruerunt. Concordat D. Anton. Et est ratio principalis responsionis: quia cum moneta (vt præmissum est) inuenta est & instituta pro bono communitatis, congruum est, vt ab eo fabricetur, à quo regenda est Communitas. Talis autem est Princeps, aut qui à Principe habent auctoritatem.

Licet autem sit Principis fabricare, ac sua imagine & nomine signare monetam; tamen propter hoc moneta dispersa in populum non est sua, nec ipse est dominus monetæ currentis in suo principatu. Nam moneta medium est permutandi diuitias naturales, æquiualens eis: Ideo illorum est possessio monetæ, quorum sunt naturales diuitiæ. Nam cum quis dat panem suum, vel proprii corporis laborem pro pecunia; cum eam receperit, sua est, sicut panis & labor suus fuit, & in eius libera potestate. Dicit etiam Nicolaus Orem. quod licet facere monetam pertineat ad Principem, tamen constituere valorem monetæ seu proportionem vnius monetæ ad aliam, gratia exempli floreni ad grossum, aut grossi ad obolum, puta quod florenus valeat tot grossos & grossus tot obolos, non debet esse in potestate Principis, sed communitatis cuius est moneta. Quod sic intelligendum puto, quod non est in potestate Principis constituere valorem monetæ secundum suam voluntatem, sed iustam & naturalem proportionem auri ad argentum, & argenti puri ad talem ligam. Et discretio huius pertinet ad Communitatem.

Ex quo sequitur quod Princeps reprobans monetam aliquam valentem, vt eam remissius emat & conflet, & inde aliam minus valentem fabricet, ei priorem valorem consti-

constituendo, monetam fraudet & ad restitutionem teneatur. Hæc est sententia Hostiens. & Panorm. & patet manifestè, quia vilius vendit carius, quod est contra iusticiam. Item sic posset sibi attrahere indebitè pecunias omnes subditorum: vt si attraheret aurum ad paruum precium, & illud emeret pro argento; ac deinde augmentato precio rursus venderet monetam auream pro maiori precio argenti. Simile esset, si poneret precium in toto frumento sui principatus, & emeret; ac postea venderet pro maiori precio etiam per eum constituto: quæ vtique esset iniustissima & tyrannica exactio populi. Nec est simile de venditione frumentorum à sancto Ioseph sub ditione Pharaonis: quoniam ex eo quod non creuerunt frumenta, ipsa facta sunt cariora & maioris precii, quàm ante dum collegerat in horreis, cum copia eorum exuberabat. Nam precium rei humana indigentia mensurat, vt vult Philosophus v. Ethic. Et si forte excessum est in precio, dicit Cassiodorus, *Credo virum sanctum tali necessitate constrictum, vt auaro principi satisfaceret, & periclitanti populo subueniret.*

DVBIVM II.

Dubitatur secundo, *Vtrum in aliqua casu Princeps possit mutare monetam propter lucrum suum*; vel generalius, *An Princeps possit habere lucrum ex moneta, constituendo maiorem valorem moneta quàm valeat eius materia non monetata, deductis necessariis expensis; vel minuendo pondus aut ligam sub priori valore?* Respondetur breuiter, quod in vno solo casu Princeps potest sentire lucrum ex moneta, scilicet dum lucrum illud redundat in vtilitatem Reipublicæ, vt tactum est conclusione secunda. Puta quando Princeps indiget subsidio pro defensione Reipublicæ, ad quod præstandum subditi obligantur; tunc posset fieri aliqua mutatio in moneta, vt pondus vel materia sub eodem valore minueretur, vt sic populus minus sentiret se grauari: dum tamen non extendatur lucrum vltra necessariam Principis indigentiam supradictam. Sed hæc mutatio fieri non debet sine consensu subditorum, quorum (vt dictum fuit) est moneta. Potest enim quilibet renuntiare iuri suo. VII. q I. Quam periculosum. Sic & communitas. Et

vult

vult Innocentius, quod sufficit consensus maioris partis magnatum. Sed de hoc dubitat Panorm. loco allegato, cum tractetur de negocio singulorum. Ideo dicit Angelus, requiri consensum singulorum. Non tamen sufficit consensus populi ad dispergendum huiusmodi monetam minoris ponderis extra tale dominium: quia cum damno non subditorum non potest suas indigentias subleuare. In quo satis omnes concordant.

Videtur etiam quibusdam, quod in casu quo colligenda est magna pecunia pro redemtione Principis aut defensione, facilior sit modus & expeditior per mutationem monetæ: tum quia hic modus facilior est ad congregandum pecuniam necessariam citius, sine fraude, & ex facultatibus subditorum: tum quia minus sensibilis, & per hoc magis portabilis sine murmure & periculo rebellionis populi: tum quia est generalissima, comprehendens omnes tam clericos quàm laicos, nobiles & plebeios, diuites & pauperes. Verum an hæc ita se habeant, committo diligenti lectori. Duo tamen necessariò hic attendenda sunt. Primum quod moneta illa tantum currat inter subditos illius dominii, qui tenentur subuenire domino & suæ reipublicæ: quoniam si dispergeretur ad alios, isti per hoc iniustè grauarentur. Secundum quod collecta necessaria pecunia, moneta reducatur ad priorem statum: quia cessante causa cessare debet & effectus.

DVBIVM III.

Tertio dubitatur, *Vtrum eligens ad partem meliores ac magis ponderantes, & conflari faciens, peccet & ad restitutionem teneatur?* Respondet Angelus in summa, sequens Hostiensem, Iohan. Andream & alios sub hac distinctione. Si illi qui cudunt pecuniam, eo quod non possunt omnes æqualiter sculpere vel perficere, alii denarii sunt quandoque minus ponderantes, propter hoc permittunt alios in maiore pondere, vt sic fiat adæquatio iusti ponderis in multitudine, quæ non potest fieri in singulis denariis: tunc tales eligentes meliores sunt falsarii, & tenentur ad restitutionem communitati: quia corpus pecuniæ damnificauerunt. Si verò omnes dena-

rii sunt iusti ponderis, sed aliqui sunt amplioris, & illos radunt, dummodo remaneant iusti ponderis, seu constant; non credo falsarios, licet male faciant, & nullo modo sit eis consulendum. Si tamen noluerint abstinere, non credo quod sint propter hoc extra statum salutis. Videtur itaque sentire, quod talis non peccet mortaliter, licet peccet venialiter. Quod non satis intelligo: nisi modicitas huius electionis, quia raro vel paucos eligit, excuset. Quoniam si hoc frequenter facit, damnificat grauiter monetarium, qui ex improuidentia excessit in pondere, vel eum cuius nomine monetat: & ita teneretur ad restitutionem ei. Sicut qui rem remissius emit, vbi forum certum est, & vendens in numero vel pondere errauit: sic monetarius in pondere errauit. Si tamen rarò fiet, modicitas excusaret: sicut furtum minimæ rei, vt pomi vnius, excusatur.

IN NIC. ORESMIVM Notæ.

PAG. 1. *Quibusdam videtur*) quibus maior vtilis quàm honesti ratio quibusq; dulcis lucri odor è re qualibet. Quorum bellæ rationes infra recensentur & refellūtur cap xxi.

Dabat vnus alteri) quale Achiuorum ὀινιζόντων exemplum ex Homero referunt Sabinus & Cassius. Et quidem potissimus tunc pecorum in permutationibus vsus fuit. Vnde Homerus cum Glauci & Diomedis arma comparat, illa quidem ἑκατόμβοια, hæc verò ἐννεάβοια vocauit. Et pretiosa τὰ πολυμήλη, πολύβοια. Quin & verba Græca emendi vendendique ferè à pecore ducta videntur: πωλεῖν, *vendere*, ἀπὸ τῶν πώλων, à pullis equinis: ὠνεῖσθαι, *emere*, ἀπὸ τῶν ὄνων, mutata litera breui in longam: ἀρνύσθαι, *redimere*, ἀπὸ τῶν ἀρνῶν, ab agnis. Et similiter tandem Romanis *Pecunia* à pecudibus nomen inuenit.

Pag. 2. *Vsum monetæ inuenere*) De quo Polydor. Vergilius Lib 11. cap. 20.

Pag. 3 *mixtio, aut simplex*) Quod quidem posterius præstat. Ita Romani veteres ex auro, argento, ære flabant feriebantq; monetas, absque mixtione vnius cum altero. Quæ mixtio o-

lim le-

lim legibus Cornelia nummaria & Iulia de peculatu districtè prohibita, & postea iterum edicto Taciti Imp. apud Vopiscum, *Vt si quis argento publicè priuatimue æs miscuisset, si quis auro argentũ, si quis æri plumbũ, capitale esset cum bonorum proscriptione.* Quod & Gothus Rex probat apud Cassiodorũ VII. Variar. 32. *Auri flamma nulla iniuria permixtionis albescat, argenti color gratia candoris arrideat, æris rubor in natiua qualitate permaneat.* Quod si adhuc ab omnibus peræquè gentibus seruaretur, vt benè fit à Venetis; næ multo integriorem certioremq; rem nummariam, & à fraudatoribus tutiorem haberemus, vt singulari libello eleganter disputat Bodinus.

in alios vsus applicetur) præsertim in deauraturam, non tantum argenti esculenti aut poculenti, sed etiam æris ferrique, imo ligni, lapidum, corii, reipublicæ plusquam putemus noxiam.

Sit nimis abundans) Tunc enim valorem suum, ob materiæ vilitatem è copia prouenientem, retinere moneta non potest. Itaque vanum fuit Lycurgi institutum, qui suo quodam cõsilio, vt ciues sui pecuniæ cumulandæ studio minus dediti essent, pecuniam nonnisi ferream, eamque immensa magnitudine & pondere, sed exiguo interim valore in republica sua signari voluit, Plutarcho auctore.

ærea recessit ab vsu) Æs graue olim Populo Romano in vsu fuit, vt Festus notat, cum asses ipsi librales essent, & *Pondo* vocarentur, Plinio auctore & Dionysio, qui Assem interpretatur χάλκεον νόμισμα βάρος λιτραῖον. Quod ideo, vbi de maiori summa agebatur, plaustris conuehi necesse erat, vt apud Liuium legimus. Sed & postea ad istam æream pecuniam ferendam non tantum loculos, sacculos, fiscos, bulgas, sed etiam fiscellas & sportas adhiberi solitas, Tullius & Asconius in Verrinis meminerunt. Hoc igitur genus pecuniæ etiamsi ad honorem principum & memoriam rerum (vt alibi exposuimus) inuentum esset, tamen propter copiã vilis metalli paulatim exoleuit apud ipsos Romanos, auro & argento rerum potiente. Itaque bellos illos asses & sestertios, ex vario ære, Cyprio, Mariano, Corinthio conflatos, & (vt quidam ait) *pondere ipso pretiosiores*; apud Byzantinos postea, Gothos, Longobardos, Francos, Germanos, quo in precio fuisse putamus? Eodem forte quo apud Turcas, quos Busbequius Orator

Cæsareus scribit numismatis illis pro pondusculis, drachmalibus puta aut similibus, vti: quæ ipsi *Giaur Mangur*, id est nummos paganorum vocent. Et fabrum ærarium ipso eiusmodi numismata requirente, ingentem au'am paulo ante talibus plenam in lebetes æneos conflasse, quod nullum eorum aut vsum aut precium putasset.

Sicut aliqui tentant) Themistius Euphrades Oratione VIII. νυῦ δὲ τῦ χαλκὸν μὲν εἰς ἀργύρεον μεταβαλεῖν, καὶ τῦ τὸ ἀργύρεον εἰς χρύσεον, ἀσωθίως ἄν τινα ἐξευροίμην, τέχνην. Diocletianum Suidas scribit Ægyptios asperè tractantem, veterum etiam scripta de fusione argenti atq; auri conquisita combussisse; ne ex illa arte ditati Ægyptii, & pecuniæ freti copiis in posterum rebellarent De Alchimistis Africanis in vrbe Fessa, multa memorat Leo Africanus lib II. pag. 136. Mendacem & perniciosam artem damnant leges publicæ, & constitutio Iohannis XXII. Extrauag. Lib. v. Tit. 6. *Spondent*, ait, *quas non exhibent, diuitias pauperes Alchimistæ*, &c.

P. 4. *ficta fuit mixtio*) Posteriores ipsi Principes Romani, imperio præcipitante & fisco pauperato, monetam argenteam æris portione remixta fecerunt, quam aliquis *vena secunda* nominat. Apparet id ex ipsis nummis Gordianorum, Philipporũ, Gallieni, Probi, & sequentium: & *Maiorinam* eã pecuniam dictam discimus ex L. VI. C. Th. de falsa mone. *Comperimus nonnullos flaturarios maiorinã pecuniam, non minus criminosè quàm crebrè, separato argento ab ære purgare.*

Nigra mixta moneta) Ita Galli vocant, *Sols nerets*, ad differentiam quorum sunt *Grands blancs*, vt Pithœus alicubi notauit. Sed & Romani æneam pecuniam, siue quod ferrugine manus inficeret, siue quod tempore nigresceret, *nigram* dixerunt. Martialis:

> *Vt conuiuia sumptuosiora*
> *Nigra sordibus explices moneta:*
> *Et centum veteres tui sodales*
> *Constemus tibi plumbea selibra.*

Monetarii inmixtum) Quod non dubium est: sed propter nimiam eius mollitiem, quo minus vsu & tritura minueretur, visum est aliquid durioris metalli modicum addi. Vid. Georg. Agricol. de precio metallor.

Mixtio suspecta) Quippe in qua compendium captari potest.

test à monetariis, dum vltra modum legis de viliori metallo indunt meliori, idque ferè impunè, dum aut non facile fraus illa à quouis deprehenditur, aut in re modica (vno forte atq; altero nummo) non admodum attenditur.

necessitatem tactam) nimirum ad mercimonia rerum minorum, in foro puta holitorio aut macello.

P. 5. *Nomina ponderis*) Nam & apud maiores nostros, Germanos inquam, per quantitatem ponderis, libras nimirum & marcas auri argentique, omnia negocia contrahi solebant: & apud Francogallos hodieque per libras Turonenses.

Non cuilibet) Adeò vt nec permissum sit vlli priuato in moneta publica metallum suum proprium signandum subiicere: quod olim grauissime constitutionibus erat interdictum. L. vii. & viii. C Th. de falsa mone.

Seu per plures) vt olim per Triumuiros A.A.Æ.F.F.

Princeps persona magis publica) Ideoque ius monetæ refertur inter Regalia, sic dicta, quod soli Principi competant, vel cui Princeps ea indulserit, Lib. ii. Feudor. Tit. 56. Quæ sint regalia. Guntherus lib. viii. *cudendæ iura monetæ.* Quod quamuis in Germania nostra omnibus ferè ordinibus iam sit commune; tamen Imperatoris præcipuè, ceu capitis, auctoritatem & numen in ipsa moneta obtendit, impressa Aquila cum globo Imperii, & addita epigraphe, RVDOLPHI. IMP. AVG. P. F. DECRETO, ex Comit. 1559. §. 10.

Impressio subtilis) Ideò Romani veteres tātum artificii & industriæ in monetæ fabricam contulisse videntur: neque tamen falsariorum insidias omninò euitare potuerunt: adeò vt Plinius scribat suo tempore, cum alii æs admiscerent falsæ monetæ, alii è pondere subtraherent, artem factam denarios probandi: *Mirumque in hac artium sola* (pro quo *schola* alii legerunt, indeq; nouam quandam huius gnomonices scholam à Mario Gratidiano erectam commēnti sunt Balduinus, Bodinus, Budelius, alii) *vitia discuntur, & falsum denarii spectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur.*

P. 6. *Quoniam erat tributum*) Dominus enim non simpliciter iussit sibi exhiberi nummum vel monetam à Pharisæis, sed signanter *Numisma census*, νόμισμα τοῦ κήνσου, id est, genus monetæ huic functioni proprium, quo satisfacerent censui à Cæsare suæ prouinciæ indicto. Id enim est *census*, toto Pan-

dectarum titulo *De censibus.* Suidas: Κῆνσος, νόμισμα ἐτήσιον τέλος. Et iterum: Κῆνσος, οὕτω τὸ ἐπιχωρίᾳ γλώσσῃ Ῥωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πλήθους προσαγορεύουσι. Et Hesychius: Κῆνσος, εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον. Sed de hac quæstione peculiarem olim commentariolum scripsimus ad verba Domini; *Date Cæsari, quæ Cæsaris.* &c. vbi & hunc ipsum Oresmii locum enucleauimus, pag. 26.

ratione imperii fabricare) Ita Fridericus Ænobarbus apud Ligurinum lib. III.

Rege figuratam, Regis patet esse monetam:
Cæsaris & Domino sub Cæsare fulget imago.

P. 7. *Sicut quædam pensio*) Vulgò *S. hlagschatz* dicitur, voce vtinam vnà cum re nobis ignorata. Bodinus lib. VI. de Republ. cap. 3. *Vectigal etiam monetale (ita vocat) quod Principes grauis subditorum incommodo de nummorum precio detrahunt, tolli; ac potius eo nomine vectigal nouum, tum etiam ad monetalium mercedem imperari æquius est, vt olim Normanni Principes, & non ita pridem Poloniæ Reges sanxerunt: vt nummorum vis ac potestas vbique sit eadem sine vllo permutationis detrimento.*

Debet esse satis parua) Omnino enim tenendum est, si quidem ex fide bona, & ad aliarum gentium consensum, monetam curare velimus, parem esse debere metalli & monetæ rationem; vt moneta ipsa rudis metalli precium aut non superet, aut certè quàm minimo, solis nimirum fabricæ expensis deductis, quæ magnæ esse non possunt. Atq; ita apud Romanos, iusti æquique tenacissimos, seruatum fuit, vt par eademque prope monetæ & metalli ratio, nec electioni ferè locus esset: vt colligere licet ex L. I. L. X. L. cum aurum. §. I. D de auro & arg. leg. L. planè §. sed si pondus. D. de legat. I. L. XXXV. in princ. C. de donat. Sed omnium planissimè ex L. I. C. de ponderatorib. vbi ita statuitur: *Aurum quod infertur à collatoribus. si quis vel solidos voluerit, vel materiam appendere, æqua lance & libramentis paribus suscipiatur.* Quid quod de Africanis Leo scribit, in Fessa antiqua nec aurum nec argentum cudi, nec Mahumetanis eam exercere artem licere: quod fœneratores habeant qui opus aliquod argenteum vel aureum carius reuendant, quàm pro ratione ponderis: quod quidem solis Iudæis ab vrbium rectoribus concedatur. Porrò nec annulum, nec aliud quidquam ex auro vel argento fabricari posse, nisi metal-

metallo prius publicè sigillato verùm ita sigillato, quidquid inde conficitur, ac si moneta esset, expendi. Hæc ille lib. III. pag. 141.

Si esset excessiua) vel etiam si posita in arbitrio monetam facientis, qui ea abuti pro libidine & monetam subinde variare posset. Quare certa & determinata esse debet, vt benè monet infra cap. XXI. pag *23*. & vicissim certa etiam debet esse Lex bonitatis monetæ, certus modus compositionis seu ligæ metallorum, quam imminuere nefas sit, vt infra docet cap. XIII circ. fin.

Monetarum quasi quædam lex) Inde νομισμα απο του νομου siue Lege dictum tradit Aristoteles, ὁτι ου φυσει αλλα νομω εστι. Vnde & hoc consequens est, posse homines illins vsum non minus mutare quàm ab initio instituere, quippe qui sit merè εξ υποθεσεως. Quod fieri non posset, si naturalis esset vis ac potestas nummi; quod genus hominum arbitrio neque tolli neque mutari potest. Idque ipse Aristoteles ibidem fatetur: ου γαρ αει ισον δυναται το νομισμα: και εφ' υμιν μεταβαλειν και ποιησαι αχρηστον. Vt diuersos nummos (ait ibi Muretus) videmus aut edictis Principum aut etiam tacito populi consensu modo pluris modo minoris esse: multorum etiam vsus aut vetustate aut legum constitutionibus planè sublatus est. Quomodo Lycurgus aureos & argenteos nummos Lacedæmoniis prorsus inutiles reddidit, cum instituit vt ferreo tantum nummo vterentur.

P.8. *Vult manere magis*) ομως δε βουλεται μενειν μαλλον: non enim alias facere officium suum potest, cum sit οιον εγγυητης ημιν, vt ibidem ait. Et certam debet æstimationem habere, id quo omnes res aliæ taxantur, ait Vlp. L.3. D. de in lit. iur. Itaque nisi ob magnam necessitatem aut euidentem vtilitatem publicam mutari non potest aut debet, sine notâ malitiæ aut πλεονεξιας, vt infra docetur cap. XV.

Implicetur alia mutatio) Patet hoc in exemplo Nicephori Phocæ Imp sæpius allegato, qui si tantum nomisma suæ figuræ post priores Principes eadem lege publicasset, nihil fecisset aut à more aut ab æquo alienum. Sed addidit duplicem mutationem. primò in pondere, quod cum antea numisma aureum hexagium penderet, ipse tetartero excogitato (verba sunt Zonaræ & Cedreni) pondus imminuit: cumque eo modo du-

do duplex esset nummus. pensiones publicæ grauiorem exigebant, minor impendiis aulicis erogabatur. Deinde etiam in valore seu proportione, quod sua insignes imagine præferri, aliorum depressis preciis, voluit. Quo vtroque haud leue cum subditis attulisse incommodum eius æui scriptores, Zonaras & Cedrenus scribunt, & ex his Bonefid. Iuris Oriental. lib. I. pag. 21.

Pag. 8. *Expediret mutare modulos*) Andreas Fricius Modreuius Polonus lib. I de Republ. emendanda, cap 15. *Quia nonnulli externi populi figuram nostrorum nummorum imitati sunt, atque hac ratione suos ad nos inuexerunt, videndum est num sit è republica, formam nostræ monetæ mutari: aliter enim externa vix exigi potest.*

P. 9. *facere irreuerentiam*) Contra quàm Romani, qui præcessorum suorum monetas & memoriam religiosè conseruabant, vt apparet ex L. I. & vlt. C. de veter. numism. potest. Theodos. Nouel. 25. Leon. Nouel. 52. & al.

Vna alia proportio) Quę ipsa pro ratione locorum & temporum inter populos variat. Herodotus scribit, auri pondo argenti libris tredecim æquatum fuisse. Apud Liuium in fœdere cum Ætolis vno capite, auri libra decem argenti libris æstimatur. Lege Constantini auri libra exæquatur argenti libris XIV & paulo supra, vt colligitur ex L. vlt. C. de argenti precio. At hodie auri ad argentum rationem toto fere terrarum orbe esse duodecuplam pro certo adstruit Bodinus lib. VI. de Republ. cap. 13. In nostro verò imperio & sæculo vndecuplam cum quarta parte constituit intelligens huius rei æstimator R. Budelius lib. I. de Monet. cap. 23 num. 12.

Pag. 10. *Sicut dicunt de sale*) Cancellarius Henrici VI. Regis Angliæ nomine *Fortescue* in libello quo commendat leges regni Anglici, cap. 35. *Præterea in regno Franciæ non patitur Rex quemquam regni sui salem vendere, quem non emat ab ipso Rege, precio eius solum arbitrio assesso. Et si insulsum pauper quiuis manult edere, quàm salem excessiuo precio comparare; mox compellitur ille tantum de sale Regis ad eius precium emere, quantum congruet tot personis, quot ipse in domo sua fouet.* Subiicit cap. seq. *At non in regno Angliæ præpeditur aliquis sibi de sale, aut quibuscunque mercimoniis aliis, ad proprium arbitrium & de quocunque venditore prouidere.*

P. 11. *Sex millia denariorum*) Theodosius Nouella sua XXV. *Quo præcepto etiam illud in perpetuum volumus contineri, ne vnquam intra septem*

ſeptem millia nummorum ſolidus diſtrahatur, emptus à collectario ſeptem millibus ducentis. Denariorum nimirum, non illorum veterum ex probo argẽto, ſed æneorũ infimæ ſortis rauduſculorum, quorum adhuc ſub Theodoſii & aliorum Cæſarum nominibus magna copia paſſim eruitur, adeo viliũ ſimul & exilium, vt non iam mirer ſeptem millia vnum ſolidum continuiſſe obryzatum, ducentis nummulario pro collybo cedentibus, triceſima quinta parte totius ſummæ. Quod notandum cenſeo.

Si alio modo pro nunc) Temporum certè lapſu nomina iſta monetarum in prouinciis quondam Romanis ſunt mutata. Solidus olim aureus, hodie in Gallia monetæ nigræ (quam vocari ſupra notauimus) ſpecies, ſexageſima aurei portio. Denarius olim ſolidi viceſima & quinta pars, ex ſuperiori Theodoſii conſtitutione ſepties milleſima, hodie in Gallia ſolidi vulgaris duodecima, aurei ſeptingenteſima & viceſima. Idem de aliis.

P.12. *Supra cap.* 1 v.) & latius infra cap. ſeq.

Menſuræ bladi & vini) Aridorum & ſiccorum menſuræ, & pondera quoque, vt de eorum ſinceritate conſtet, ſigno Principis aut Reipublicæ confirmari hodieque paſſim ſolent.

P.13. *Pecunia aliena poteſt mouere*) Iuuenalis:

Quas habeat Veneres aliena pecunia, neſcis.

Secundum certam proportionem) Eaque proportio ſtrictiſſime debet ſeruari, propter lubriciſſimã occaſionem compendii inde captandi, quod vix curatur aut deprehenditur, niſi ſeueriſſima inquiſitio & animãduerſio adhibeatur. Sed neque hoc ſatis eſt, niſi & aliud accedat, nimirum vt moneta illa nigra ſiue vſualis (quippe qua ad res tantum minores, aut operas mercenarias, aut alias calculi excurrentis minutias opus eſt, & reuerâ non tam pro genere pecuniæ aut diuitiarũ, quàm mero inſtrumento fori & macelli habendæ ſunt, & plerumque in ſua tantum regione noti & fungibiles habentur) nonniſi ad certum modum in quaque republica admittantur, tam ad cudẽdum, quàm ad ſolutiones faciendas. Prout vtrumque hodierna Imperii Lege ſancitum eſt: & apud Luſitanos quoque nonniſi quartam debiti partem eiuſmodi viliori moneta ſoluere permittitur, Pinello teſte. Id enim vtrumque niſi ſtrictè ſeruetur, plura incommoda eueniunt, &

quaſi catenatim ſe conſequuntur: nimirum vt monetarii hæc potiſſimum ob præſens lucrum ſine fine modoque cudant, conflatis & in hanc fabricam abſumptis ſolidis boniſq; monetis argenteis; & iura monetę quauis conditione à Principibus in ſuas manus transferant. Deinde vt ob horum copiam, dum data electione nemo non ſolidas monetas potius cum aliquo diſpendio accipere mauult, earum valor ſupra ſuam indicaturam paulatim augeatur, imo in infinitum excreſcat: quando illæ ſolæ & precium metalli in ſe habent, & conſeruari poſſunt, & in commerciis cum extraneis vſum obtinent. Et viciſſim vt precia rerum omnium, ob illam monetæ inquinationem, indies ſcandant & intendantur. Quæ omnia quantum Reipublicæ incommodi afferant, quis non videt?

P. 14. *Propter defectum materiæ*) Præſertim in extremæ neceſſitatis caſu, quem Auctor hic quidem non attingit, ſed ratio concedit, & exempla omnium ætatum & populorum, etiam Romani. C. Manlius apud Saluſtium ita loquitur: *Sæpe maiores veſtri miſerti plebis Romanæ, decretis ſuis inopiæ eius opitulati ſunt: ac nouiſſimè memoria noſtra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis argentum ære ſolutum eſt.* Eadem neceſſitatis ratio prius coegerat pondus aſſium mutare, (quod ad præcedẽs caput XIII. pertinebat) & maiorem quidem in modum imminuere, de quo ita Plinius: *Libræ pondus æris imminutum bello Punico, cum impenſis reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque vt aſſes ſextantario pondere ferirentur. Ita quinq; partes factæ lucri, diſſolutumque æs alienum.* Idemque Feſtus Pompeius in *Sextantaris*. Eademque cauſa difficillimis bellorum, obſidionum, calamitatum temporibus non tantum ęneos aut ſtanneos, ſed etiam ſcorteos, ligneos, chartaceos nummos ad tempus facere compulit.

Moneta à monendo) Alludit Theodericus Rex apud Caſſiodor. lib. VI. cap. VII. *monetamque facis de noſtris temporibus futura ſæcula commonere.* Sed & Panegyriſtes ad Theodoſium Imp. *Hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus viuant, hæc in ære moneantur* (ita legere placet) *hæc gemmis augeant precium.* id eſt, hæc in ærea moneta diuulgandæ & æternandæ memoriæ cauſſa repræſentetur, vt apud Romanos fieri ſolebat. Porrò Monetæ nomen vnde Iunoni factum, ex Romanis

manis

manis scriptoribus notũ est. Cudit denarium T. CARISIVS. qui sub Augusto triumuiratum monetæ gessit, in quo caput Iunonis vna parte visitur, cum litteris MONETA: in altero Vulcania instrumenta, incus, malleus, forceps. Quæ quidem incus in Triumuirorum ipsorum nummis frequens conspicitur: si non ara potius fuit, nam aliquando & coronata apparet. Aram enim in moneta fuisse, Ammianus meminit lib. XXI. vbi Dracontius monetæ præpositus seditione Alexandrinorum interfectus, *quod aram in Moneta, quam regebat, recens locatam* (zelo quodam) *euertisset.*

P. 15. *Custodire exemplar*) Leo Africanus de Fessa vrbe scribens: *Monetariorum ædibus confines sunt aurifabrorum officinæ, quorum Consul sigillum & typos monetarum conseruat.*

Mensurarum exemplaria) Hygenus Gromaticus in lib. De limitib. pag. 152. *pedis Monetalis* aliquoties meminit, sic dicti, quod vt moneta publicè definitus & receptus esset, & fortè etiam in æde Monetæ custodiretur. *Et Capitolina amphora* apud Capitolinum, quæ iustæ & legitimæ mensuræ, qualis in Capitolio proposita, ad quam omnes exigerentur. Quo facit veteris congii inscriptio: IMP. CÆS. VESPASIANO. VI. T. CÆS. AVG. F. IV. COS. MENSVRÆ. EXACTÆ. IN. CAPITOLIO. Remmius Fannius de amphora,

-------- *Quam ne violare liceret,*

Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

P. 16. *Emolumentum vel lucrum*) Quæ sanè (si verum amamus) sola & vnica caussa corruptæ & fluctuantis hodie rei monetariæ, dum sublime & augustum istud regale in quæstũ à nonnullis indignè conuertitur, redemptorumque libidini precio prostituitur: & quod nil nisi attestatio veritatis esse debebat (vt benè hic Oresmius docet) ad quẽdam vt nouũ ita illegitimũ adquirẽdi modũ vsurpatur. Sed manũ ab vlcere.

Præter naturalem ipsius vsum) Quandoquidem pecunia res per se sterilis fructum naturæ ordine producere nullum potest. Vnde nonnisi impropriè à Græcis τόκος, à nobis *Wucher* dicitur, quod vtrumque fructum sonat.

Par est ipsi vsura) Quo omnino loco vel apud Fessanos in Africa haberi supra retulimus. Quid apud nos Christianos par foret?

Violenta prædatio) Ferè vt M. Cato aliquando interrogatus,

Quid esset fœnerari? replicauit, *Imò quid occidere*: Horatius similiter: *quos vsura trucidat.*

P. 17. *Romani tales fecerunt*) Nec illi in arce illa & templo virtutum omninò ab hac cupiditate intacti fuerunt. Miscuit denario triumuir Antonius ferrum, ait Plinius. Alii aliter: grauissimè ferè omnium Seuerus denarios corrupit, vt ipsi loquuntur, & Dion notauit. De posteriorum Imperatorum pecunia maiorina, & raudusculis inquinatissimis vilissimisque, non repeto quæ scripsi alibi.

Quadam praua moneta veteri) Inuenitur & bona veteris notæ, aurea, argentea, ænea: sed plus illius inquinatæ posteriorum principum. Sed totum illud genus Oresmii huius æuo idoneos æstimatores non habebat, quos cultiori hoc sæculo & patrum memoria reperit.

Reperitur in campis) per prouincias olim à Romanis possessas, in locis vbi aut veterum vrbium villarumue sunt reliquiæ, aut olim ab auaris pecunia fuit defossa, aut in sepulchris vel etiam sub limitibus condita. Qua de re & quidquid omnino circa antiquitatis illam partem (Numismata dico) dici quæriue poterit, ex professo aget Pomponius noster, vbi Persica tandem cœptis fauerit.

Nimis turpe Princip.) Huc pertinet grauissima commonefactio Boleslaii Pii Bohemiæ regis, apud Cosmam Pragensem lib. II. quam ille moriturus ad filium suum Boleslaum III. habuit (decessit autem anno DCCCCXCIX) inter alia capita hoc etiam habens: *Dilige denarium, sed parcè, dilige famam. Res enim publica licet sit nimis adaucta per formam numismatis falsam, citò erit ad nihilum redacta. Est aliquid, fili mi, quod Carolus Rex sapientissimus & manu potentissimus, haud æquiparandus nobis hominibus valde humilibus, cum filium suum Pipinum post se in folio sublimandum duponeret, eum terribili cum sacramento constrinxit, Ne in regno suo subdola & praua taxato ponderis aut moneta fieret. Certe nulla clades, nulla pestilentia, nec mortalitas, nec non hostes totam terram rapinis incendiisque deuastantes, magis populo Dei nocerent, quam frequens mutatio & fraudulenta peioratio nummi. Quæ pestis aut quæ infernalis Erynnis inclementius spoliat, perdit, attenuat Christicolas, quàm fraus in nummo herilis? Atqui post hæc senescente iustitia & inualescente nequitia surgent, non Duces, sed fures; non rectores populi Dei, sed nequam exactores, auarissimi sine misericordia homines, Deum omnia cernentem non metuentes, qui ter vel quater in anno monetam mutando eunt in laqueum*

Diaboli-

Diaboli ad perditionem populi Dei. Talibus enim nequam artibus & per legum insolentiam coangustabunt huius regni terminos, quos ego dilataui vsque ad montes, qui sunt vltra Krakou nomine trati, per Dei gratiam & populi opulentiam. *Nam*

Diuitia plebis sunt laus & gloria Regis.

Nec sibi sed Domino grauis est, quem grauat egestas.

P.18. *Monetam falsificare*) Quam flagitii notam impingit Philippo Pulchro Galliæ Regi Dantes Poeta Florentinus, sui seculi censor liberrimus, Paradisi Canto XIX.

Li si vedra il duol, che sopra Senna

Induce falseggiando la moneta

Quei, che morrà di colpo di cotenna. Quia primus monetam argenteam in regno Franciæ dimidia parte ligæ debilitasset: quæ res subditis occasionem magnorum tumultuum dedit, & Principibus extraneis perniciosissimum exemplum præbuit Cuius cum ipsum tandem pœniteret, filio suo Ludouico Hutino testamento iniunxit, *vt caueret à deprauatione monetarum*, vt Bodinus refert Postea tamen Carolus etiã Pulcher suscepto Aquitanico bello, vrgente æris inopia argentei numi bonitatem admodum imminuit paterno exemplo, vt ex Villaneo Massonus refert. Eoque pertinet constitutio illa Iohannis XXII PP. sub Tit. *De crimine falsi*, vbi queritur sub vero signo Caroli Regis Francorum & Nauarræ monetam data opera deprauari, cadereque à suo recto pondere: quę spicula non obscurè in Regem ipsum cuius auctoritate nummi bonitas imminuta fuerat, iaculatus videtur. Eamque rem postea Oresmio occasionem huius libri scribendi dedisse apparet: cuius idem Massonus nominatim meminit in Carolo V. Rege.

Incumbit condemnare) addo, ipsam antea omnia monetam improbam condemnare, prohibere edictis & reprobare, deprehensam scindere & abolere. Scæuola in l. 102. D. de solution. *Mox pecunia qua illa Respublica vtebatur, quasi aerosa iussu Præsidis sublata est.* Idemque D. Epiphanius in lib. De pōderibus & mensuris testatur, & Etymologici auctor:. Διακέκοπλα, οἷον ἀδοκίμαστόν ἐστι. Διέκοπλον γὰρ τὸ ἀδόκιμον νόμισμα οἱ παλαιοί.

Turpissima morte) Flammarum exustionibus, ceu competenti supplicio pro eius elementi abusu. L. V. C. Th. de falsa

monet.

Cæſareus ſcribit numiſmatis illis pro ponduſculis, drachmalibus puta aut ſimilibus, vti: quæ ipſi *Gaur Mangu i*, id eſt nummos paganorum vocent. Et fabrum ærarium ipſo eiuſmodi numiſmata requirente, ingentem au'am paulo ante talibus plenam in lebetes æneos conflaſſe, quod nullum eorum aut vſum aut precium putaſſet.

Sicut aliqui tentant) Themiſtius Euphrades Oratione VIII. νῦν δὲ τὸ χαλκὸν μὲν εἰς ἀργύρεον μεταβαλεῖν, καὶ τὸ τὸ ἀργύρεον εἰς χρύσεον, ἀσφαλῶς ἄν τινα ἐξευρόμενον τέχνην. Diocletianum Suidas ſcribit Ægyptios aſperè tractantem, veterum etiam ſcripta de fuſione argenti atq; auri conquiſita combuſſiſſe; ne ex illa arte ditati Ægyptii, & pecuniæ freti copiis in poſterum rebel'arent De Alchimiſtis Africanis in vrbe Feſſa, multa memorat Leo Africanus lib II. pag. 136. Mendacem & perniciosam artem damnant leges publicæ, & conſtitutio Iohannis XXII. Extrauag. Lib. V. Tit. 6. *Spondent*, ait, *quas non exhibent, diuitias pauperes Alc... miſtæ*, &c.

P. 4. *f...cta fuit m...xt... o*) Poſteriores ipſi Principes Romani, imperio præcipitante & fiſco pauperato, monetam argenteam æris portione remixta fecerunt, quam aliquis *vena ſecunda* nominat. Apparet id ex ipſis nummis Gordianorum, Philipporũ, Gallieni, Probi, & ſequentium: & *Maiorinam* eã pecuniam dictam diſcimus ex L. VI. C. Th. de falſa mone. *Comperimus nonnullos flaturarios maiorinã pecuniam, non minus criminosè quàm crebrè, ſeparato argento ab ære purgare.*

Nigra mixta moneta) Ita Galli vocant, *Sols nere's*, ad differentiam quorum ſunt *Grands b'ancs*, vt Pithœus alicubi notauit. Sed & Romani æneam pecuniam, ſiue quod ferrugine manus inficeret, ſiue quod tempore nigreſceret, *nigram* dixerunt. Martialis:

> *Vt conuiuia ſumptuoſiora*
> *Nigra ſordibus explices moneta:*
> *Et centum veteres tui ſodales*
> *Conſtemus tibi plumbea ſelibra.*

Monetari inmixtum) Quod non dubium eſt: ſed propter nimiam eius mollitiem, quo minus vſu & tritura minueretur, viſum eſt aliquid durioris metalli modicum addi. Vid. Georg. Agricol. de precio metallor.

Mixtio ſuſpecta) Quippe in qua compendium captari poteſt

test à monetariis, dum vltra modum legis de viliori metallo indunt meliori, idque ferè impunè, dum aut non facile fraus illa à quouis deprehenditur, aut in re modica (vno forte atq; altero nummo) non admodum attenditur.

necessitatem tactam) nimirum ad mercimonia rerum minorum, in foro puta holitorio aut macello.

P. 5. *Nomina ponderis*) Nam & apud maiores nostros, Germanos inquam, per quantitatem ponderis, libras nimirum & marcas auri argentique, omnia negocia contrahi solebant: & apud Francogallos hodieque per libras Turonenses.

Non cuilibet) Adeò vt nec permissum sit vlli priuato in moneta publica metallum suum proprium signandum subiicere: quod olim grauissime constitutionibus erat interdictum. L. VII. & VIII. C Th. de falsa mone.

Seu per plures) vt olim per Triumuiros A.A.Æ.F.F.

Princeps persona magis publica) Ideoque ius monetæ refertur inter Regalia, sic dicta, quod soli Principi competant, vel cui Princeps ea indulserit, Lib. II. Feudor. Tit. 56. Quæ sint regalia. Guntherus lib. VIII. *cudendæ iura monetæ*. Quod quamuis in Germania nostra omnibus ferè ordinibus iam sit commune; tamen Imperatoris præcipuè, ceu capitis, auctoritatem & numen in ipsa moneta obtendit, impressa Aquila cum globo Imperii, & addita epigraphe, RVDOLPHI. IMP. AVG. P. F. DECRETO, ex Comit. 1559. §. 10.

Impressio subtilis) Ideò Romani veteres tãtum artificii & industriæ in monetæ fabricam contulisse videntur: neque tamen falsariorum insidias omninò euitare potuerunt: adeò vt Plinius scribat suo tempore, cum alii æs admiscerent falsæ monetæ, alii è pondere subtraherent, artem factam denarios probandi: *Mirumque in hac artium sola* (pro quo *schola* alii legerunt, indeq; nouam quandam huius gnomonices scholam à Mario Gratidiano erectam commènti sunt Balduinus, Bodinus, Budelius, alii) *vitia discuntur, & falsum denarii spectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur*.

P. 6. *Quoniam erat tributum*) Dominus enim non simpliciter iussit sibi exhiberi nummum vel monetam à Pharisæis, sed signanter *Numisma census*, νόμισμα τοῦ κήνσου, id est, genus monetæ huic functioni proprium, quo satisfacerent censui à Cæsare suæ prouinciæ indicto. Id enim est *Census*, toto Pan-

dectarum titulo *De censibus*. Suidas: Κῆνσος, νόμισμα ἐτήσιον τέλος. Et iterum: Κῆνσος, οὕτω τῇ ἐπιχωρίᾳ γλώσσῃ Ῥωμαῖοι τὴν ἐξέτασιν τοῦ Ῥωμαϊκοῦ πλήθους προσαγορεύουσι. Et Hesychius: Κῆνσος, εἶδος νομίσματος, ἐπικεφάλαιον. Sed de hac quæstione peculiarem olim commentariolum scripsimus ad verba Domini; *Date Cæsari, quæ Cæsaris.* &c. vbi & hunc ipsum Oresmii locum enucleauimus, pag. 26.

ratione imperii fabricare) Ita Fridericus Ænobarbus apud Ligurinum lib. III.

Rege figuratam, Regis patet esse monetam:
Cæsaris & Domino sub Cæsare fulget imago.

P. 7. *Sicut quadam pensio*) Vulgò *S. blaffchatz* dicitur, voce vtinam vnà cum re nobis ignorata. Bodinus lib. VI. de Republ. cap. 3. *Vectigal etiam monetale* (ita vocat) *quod Principes graui subditorum incommodo de nummorum precio detrahunt, tolli; ac potius eo nomine vectigal nouum, tum etiam ad monetalium mercedem imperari æquius est, vt olim Normanni Principes, & non ita pridem Poloniæ Reges sanxerunt: vt nummorum vis ac potestas vbique sit eadem sine vllo permutationis detrimento.*

Debet esse satis parua) Omnino enim tenendum est, si quidem ex fide bona, & ad aliarum gentium consensum, monetam curare velimus, parem esse debere metalli & monetæ rationem; vt moneta ipsa rudis metalli precium aut non superet, aut certè quàm minimo, solis nimirum fabricæ expensis deductis, quæ magnæ esse non possunt. Atq; ita apud Romanos, iusti æquique tenacissimos, seruatum fuit, vt par eademque prope monetæ & metalli ratio, nec electioni ferè locus esset: vt colligere licet ex L. I. L. X. L. cum aurum. §. I. D. de auro & arg. leg. L. planè §. sed si pondus. D. de legat. I. L. XXXV. in princ. C. de donat. Sed omnium planissimè ex L. I. C. de ponderatorib. vbi ita statuitur: *Aurum quod infertur à collatoribus, si quis vel solidos voluerit, vel materiam appendere, æqua lance & libramentis paribus suscipiatur.* Quid quod de Africanis Leo scribit, in Fessa antiqua nec aurum nec argentum cudi, nec Mahumetanis eam exercere artem licere: quod fœneratores habeant qui opus aliquod argenteum vel aureum carius reuendant, quàm pro ratione ponderis: quod quidem solis Iudæis ab vrbium rectoribus concedatur. Porrò nec annulum, nec aliud quidquam ex auro vel argento fabricari posse, nisi

metal-

metallo prius publicè sigillato verùm ita sigillato, quidquid inde conficitur, ac si moneta esset, expendi. Hæc ille lib. III. pag. 141.

Si esset excessiua) vel etiam si posita in arbitrio monetam facientis, qui ea abuti pro libidine & monetam subinde variare posset. Quare certa & determinata esse debet, vt benè monet infra cap. XXI. pag *23*. & vicissim certa etiam debet esse Lex bonitatis monetæ, certus modus compositionis seu ligæ metallorum, quam imminuere nefas sit, vt infra docet cap. XIII circ. fin.

Monetarum quasi quædam lex) Inde νόμισμα ἀπὸ τοῦ νόμου siue Lege dictum tradit Aristoteles, ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. Vnde & hoc consequens est, posse homines illius vsum non minus mutare quàm ab initio instituere, quippe qui sit merè ἐξ ὑποθέσεως. Quod fieri non posset, si naturalis esset vis ac potestas nummi; quod genus hominum arbitrio neque tolli neque mutari potest. Idque ipse Aristoteles ibidem fatetur: οὐ γὰρ ἀεὶ ἴσον δύναται τὸ νόμισμα: καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβαλεῖν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον. Vt diuersos nummos (ait ibi Muretus) videmus aut edictis Principum aut etiam tacito populi consensu modo pluris modo minoris esse: multorum etiam vsus aut vetustate aut legum constitutionibus planè sublatus est. Quomodo Lycurgus aureos & argenteos nummos Lacedæmoniis prorsus inutiles reddidit, cum instituit vt ferreo tantum nummo vterentur.

P.8. *Vult manere magis*) ὅμως δὲ βούλεται μένειν μᾶλλον: non enim alias facere officium suum potest. cum sit οἷον ἐγγυητὴς ἡμῖν, vt ibidem ait. Et ceriam debet æstimationem habere, id quo omnes res aliæ taxantur, ait Vlp. L. 3. D. de in lit. iur. Itaque nisi ob magnam necessitatem aut euidentem vtilitatem publicam mutari non potest aut debet, sine notâ malitiæ aut πλεονεξίας, vt infra docetur cap. XV.

Implicetur alia mutatio) Patet hoc in exemplo Nicephori Phocæ Imp sæpius allegato, qui si tantum nomisma suæ figuræ post priores Principes eadem lege publicasset, nihil fecisset aut à more aut ab æquo alienum. Sed addidit duplicem mutationem. primò in pondere, quod cum antea numisma aureum hexagium penderet, ipse tetartero excogitato (verba sunt Zonaræ & Cedreni) pondus imminuit: cumque eo modo du-

do duplex eſſet nummus, penſiones publicæ grauiorem exigebant, minor impendiis aulicis erogabatur. Deinde etiam in valore ſeu proportione, quod ſua inſignes imagine præferri, aliorum depreſſis preciis, voluit. Quo vtroque haud leue eum ſubditis attuliſſe incommodum eius æui ſcriptores, Zonaras & Cedrenus ſcribunt, & ex his Bonefid. Iuris Oriental. lib. I. pag. 21.

Pag. 8. *Expediret mutare modulos*) Andreas Fricius Modreuius Polonus lib. I de Republ. emendanda, cap 15. *Quia nonnulli externi populi figuram noſtrorum nummorum imitati ſunt, atque hac ratione ſuos ad nos inuexerunt, videndum eſt num ſit è republica, formam noſtræ monetæ mutari: aliter enim externa vix exigi poteſt.*

P. 9. *facere irreuerentiam*) Contra quàm Romani, qui præceſſorum ſuorum monetas & memoriam religioſè conſeruabant, vt apparet ex L. I. & vlt. C. de veter. numiſm. poteſt. Theodoſ. Nouel. 25. Leon. Nouel. 52. & al.

Vna alia proportio) Quę ipſa pro ratione locorum & temporum inter populos variat. Herodotus ſcribit, auri pondo argenti libris tredecim æquatum fuiſſe. Apud Liuium in fœdere cum Ætolis vno capite, auri libra decem argenti libris æſtimatur. Lege Conſtantini auri libra exæquatur argenti libris XIV & paulo ſupra, vt colligitur ex L. vlt. C. de argenti precio. At hodie auri ad argentum rationem toto fere terrarum orbe eſſe duodecuplam pro certo adſtruit Bodinus lib. VI. de Republ. cap. 13. In noſtro verò imperio & ſæculo vndecuplam cum quarta parte conſtituit intelligens huius rei æſtimator R. Budelius lib. I. de Monet. cap. 23. num. 12.

Pag. 10. *Sicut dicunt de ſale*) Cancellarius Henrici VI. Regis Angliæ nomine *Forteſcue* in libello quo commendat leges regni Anglici, cap. 35. *Præterea in regno Franciæ non patitur Rex quemquam regni ſui ſalem vendere, quem non emat ab ipſo Rege, precio eius ſolum arbitrio aſſeſſo. Et ſi inſulſum pauper quiuis mauult edere, quàm ſalem exceſſiuo precio comparare; mox compellitur ille tantum de ſale Regis ad eius precium emere, quantum congruet tot perſonis, quot ipſe in domo ſua fouet.* Subiicit cap. ſeq. *At non in regno Angliæ præpeditur aliquis ſibi de ſale, aut quibuſcunque mercimoniis aliis, ad proprium arbitrium & de quocunque venditore prouidere.*

P. 11. *Sex millia denariorum*) Theodoſius Nouella ſua XXV. *Quo præcepto etiam illud in perpetuum volumus contineri, ne vnquam intra*

septem

septem millia nummorum solidus distrahatur, emptus à collectario septem millibus ducentis. Denariorum nimirum, non illorum veterum ex probo argēto, sed æneorū infimæ sortis raudusculorum, quorum adhuc sub Theodosii & aliorum Cæsarum nominibus magna copia passim eruitur, adeo viliū simul & exilium, vt non iam mirer septem millia vnum solidum continuisse obryzatum, ducentis nummulario pro collybo cedentibus, tricesima quinta parte totius summæ. Quod notandum censeo.

Si alio modo pro nunc) Temporum certè lapsu nomina ista monetarum in prouinciis quondam Romanis sunt mutata. Solidus olim aureus, hodie in Gallia monetæ nigræ (quam vocari supra notauimus) species, sexagesima aurei portio. Denarius olim solidi vicesima & quinta pars, ex superiori Theodosii constitutione septies millesima, hodie in Gallia solidi vulgaris duodecima, aurei septingentesima & vicesima. Idem de aliis.

P.12. *Supra cap.* I v.) & latius infra cap. seq.

Mensura bladi & vini) Aridorum & siccorum mensuræ, & pondera quoque, vt de eorum sinceritate constet, signo Principis aut Reipublicæ confirmari hodieque passim solent.

P.13. *Pecunia aliena potest mouere*) Iuuenalis:

Quas habeat Veneres aliena pecunia, nescis.

Secundum certam proportionem) Eaque proportio strictissime debet seruari, propter lubricissimā occasionem compendii inde captandi, quod vix curatur aut deprehenditur, nisi seuerissima inquisitio & animāduersio adhibeatur. Sed neque hoc satis est, nisi & aliud accedat, nimirum vt moneta illa nigra siue vsualis (quippe qua ad res tantum minores, aut operas mercenarias, aut alias calculi excurrentis minutias opus est, & reuerâ non tam pro genere pecuniæ aut diuitiarū, quàm mero instrumento fori & macelli habendæ sunt, & plerumque in sua tantum regione noti & fungibiles habentur) nonnisi ad certum modum in quaque republica admittantur, tam ad cudēdum, quàm ad solutiones faciendas. Prout vtrumque hodierna Imperii Lege sancitum est: & apud Lusitanos quoque nonnisi quartam debiti partem eiusmodi viliori moneta soluere permittitur, Pinello teste. Id enim vtrumque nisi strictè seruetur, plura incommoda eueniunt, &

quasi catenatim se consequuntur: nimirum vt monetarii hæc potissimum ob præsens lucrum sine fine modoque cudant, conflatis & in hanc fabricam absumptis solidis bonisq; monetis argenteis; & iura monetę quauis conditione à Principibus in suas manus transferant. Deinde vt ob horum copiam, dum data electione nemo non solidas monetas potius cum aliquo dispendio accipere mauult, earum valor supra suam indicaturam paulatim augeatur, imo in infinitum excrescat: quando illæ solæ & precium metalli in se habent, & conseruari possunt, & in commerciis cum extraneis vsum obtinent. Et vicissim vt precia rerum omnium, ob illam monetæ inquinationem, indies scandant & intendantur. Quæ omnia quantum Reipublicæ incommodi afferant, quis non videt?

P. 14. *Propter defectum materiæ*) Præsertim in extremæ necessitatis casu, quem Auctor hic quidem non attingit, sed ratio concedit, & exempla omnium ætatum & populorum, etiam Romani. C. Manlius apud Salustium ita loquitur: *Sæpe maiores vestri miserti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ eius opitulati sunt: ac nouissimè memoria nostra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis argentum ære solutum est.* Eadem necessitatis ratio prius coegerat pondus assium mutare, (quod ad præcedēs caput XIII. pertinebat) & maiorem quidem in modum imminuere, de quo ita Plinius: *Libra pondus æris imminutum bello Punico, cum impensis respublica non sufficeret, constitutumque vt asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinq; partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum.* Idemque Festus Pompeius in *Sextantaris*. Eademque causa difficillimis bellorum, obsidionum, calamitatum temporibus non tantum ęneos aut stanneos, sed etiam scorteos, ligneos, chartaceos nummos ad tempus facere compulit.

Moneta à monendo) Alludit Theodericus Rex apud Cassiodor. lib. VI. cap. VII. *monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commonere.* Sed & Panegyristes ad Theodosium Imp. *Hæc ebore redduntur, hæc marmore, hæc in coloribus viuant, hæc in ære moneantur* (ita legere placet) *hæc gemmis augeant precium.* id est, hæc in ærea moneta diuulgandæ & æternandæ memoriæ caussa repræsentetur, vt apud Romanos fieri solebat. Porrò Monetæ nomen vnde Iunoni factum, ex Romanis

manis scriptoribus notũ est. Cudit denarium T. CARISIVS, qui sub Augusto triumuiratum monetæ gessit, in quo caput Iunonis vna parte visitur, cum litteris MONETA: in altero Vulcania instrumenta, incus, malleus, forceps. Quæ quidem incus in Triumuirorum ipsorum nummis frequens conspicitur: si non ara potius fuit, nam aliquando & coronata apparet. Aram enim in moneta fuisse, Ammianus meminit lib. XXI. vbi Dracontius monetæ præpositus seditione Alexandrinorum interfectus, *quod aram in Moneta, quam regebat, recens locatam* (zelo quodam) *euertisset.*

P. 15. *Custodire exemplar*) Leo Africanus de Fessa vrbe scribens: *Monetariorum adibus confines sunt aurifabrorum officinæ, quorum Consul sigillum & typos monetarum conseruat.*

Mensurarum exemplaria) Hygenus Gromaticus in lib. De limitib. pag. 152. *pedis Monetalis* aliquoties meminit, sic dicti, quod vt moneta publicè definitus & receptus esset, & fortè etiam in æde Monetæ custodiretur. *Et Capitolina amphora* apud Capitolinum, quæ iustæ & legitimæ mensuræ, qualis in Capitolio proposita, ad quam omnes exigerentur. Quo facit veteris congii inscriptio: IMP. CÆS. VESPASIANO. VI. T. CÆS. AVG. F. IV. COS. MENSVRÆ. EXACTÆ. IN. CAPITOLIO. Remmius Fannius de amphora,

-------- *Quam ne violare liceret,*
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

P. 16. *Emolumentum vel lucrum*) Quæ sanè (si verum amamus) sola & vnica caussa corruptæ & fluctuantis hodie rei monetariæ, dum sublime & augustum istud regale in quæstũ à nonnullis indignè conuertitur, redemptorumque libidini precio prostituitur: & quod nil nisi attestatio veritatis esse debebat (vt benè hic Oresmius docet) ad quẽdam vt nouũ ita illegitimũ adquirẽdi modũ vsurpatur. Sed manũ ab vlcere.

Præter naturalem ipsius vsum) Quandoquidem pecunia res per se sterilis fructum naturæ ordine producere nullum potest. Vnde nonnisi impropriè à Græcis τόκος, à nobis *Wucher* dicitur, quod vtrumque fructum sonat.

Par est ipsi vsura) Quo omnino loco vel apud Fessanos in Africa haberi supra retulimus. Quid apud nos Christianos par foret?

Violenta prædatio) Ferè vt M. Cato aliquando interrogatus,

Diaboli ad perditionem populi Dei. Talibus enim nequam artibus & per legum insolentiam coangustabunt huius regni terminos, quos ego dilataui vsque ad montes, qui sunt vltra Krakou nomine triti, per Dei gratiam & populi opulentiam. Nam

Diuitiæ plebis sunt laus & gloria Regis.

Nec sibi sed Domino grauis est, quem grauat egestas.

P.18. *Monetam falsificare*) Quam flagitii notam impingit Philippo Pulchro Galliæ Regi Dantes Poeta Florentinus, sui seculi censor liberrimus, Paradisi Canto XIX.

Li si vedra il duol, che sopra Senna

Induce falseggiando la moneta

Quei, che morrà di colpo di coterna. Quia primus monetam argenteam in regno Franciæ dimidia parte ligæ debilitasset: quæ res subditis occasionem magnorum tumultuum dedit, & Principibus extraneis perniciosissimum exemplum præbuit Cuius cum ipsum tandem pœniteret, filio suo Ludouico Hutino testamento iniunxit, *vt caueret à deprauatione monetarum*, vt Bodinus refert Postea tamen Carolus etiā Pulcher suscepto Aquitanico bello, vrgente æris inopia argentei numi bonitatem admodum imminuit paterno exemplo, vt ex Villaneo Massonus refert. Eoque pertinet constitutio illa Iohannis XXII. PP. sub Tit. *De crimine falsi*, vbi queritur sub vero signo Caroli Regis Francorum & Nauarræ monetam data opera deprauari, cadereque à suo recto pondere: quę spicula non obscurè in Regem ipsum cuius auctoritate num mi bonitas imminuta fuerat, iaculatus videtur. Eamque rem postea Oresmio occasionem huius libri scribendi dedisse apparet: cuius idem Massonus nominatim meminit in Carolo V. Rege.

Incumbit condemnare) addo, ipsam antea omnia monetam improbam condemnare, prohibere edictis & reprobare, deprehensam scindere & abolere. Scæuola in l. 102. D. de solution. *Mox pecunia qua illa Respublica vtebatur, quasi ærosa iussu Præsidis sublata est.* Idemque D. Epiphanius in lib. De pōderibus & mensuris testatur, & Etymologici auctor: Διακέκοπλαι, οἷον ἀδοκιμαςόν ἐςι. Διέκοπλον γὰρ τὸ ἀδόκιμον νόμισμα οἱ παλαιοί.

Turpissima morte) Flammarum exustionibus, ceu competenti supplicio pro eius elementi abusu. L. V. C. Th. de falsa

monet.

mouet. Exemplum ponit Dantes de quodam magistro Adamo Brixiensi, qui cum esset insignis monetarius, auaritia tactus secretò falsificauit florenos aureos (qui Florentini dicebantur, vna parte S. Iohannem Baptistam, altera Lilium habentes) quo detecto comprehensus & exustus fuit: quem apud inferos ita miseriam suam deplorantem inducit. Cantu x x:

Ivi é Romena lá, dou' io falsai
La lega suggillata del Battista,
Perch' io il corpo suso arso lasciai.

vel alio vltimo supplicio, cum bonorum publicatione: aut vt mitissimè, manus amputatione, vt scripsi in Legib. nummar. cap. I. Quod & apud Fessanos fieri Leo Africanus scribit, & apud Venetos hodie fieri audio, & ita quidem vt miseri illi truncatis manibus quotidiè certis horis differto foro per medias mensas & tabernas spectaculi exemplique ergo traducantur.

Rei qua debet esse certissima) Cum velut sponsor & expromissor quidam sit humanis necessitatibus & commerciis, vt Philosophus ait, οἷον ἐγγυητής ἐστιν ἡμῖν. Et hoc tralaticium est apud iuris auctores, *Numorum certam esse æstimationem.* L III. D. de in litem iuran. Videsis Dominicum Soto Lib. III. De iustit. & iure. Quæst 5 Artic. 3.

Irreuereri præcessores suos) Quanto laudabilius institutum Regum Arragoniæ, qui ad coronam venientes more à maioribus accepto, solemne iusiurandum dant, inter alia hoc continens, *se antiquas monetæ leges non infringere*, nec cursum nec pedem monetæ approbatæ mutare velle, auctore Petro Beluga in Speculo Principum Ann. 1245. & 1337. Quo pertinet rescriptum Innocentii III ad Regem Arragoniæ in c. Quanto. 18. De iureiur. qui consiliariorum suasu iurasset, *Vsque ad certum tempus patris sui conseruare monetam.* Eandemque ob causam Petrus IV. Rex Arragonum ditionem Regis Maioricæ & Minoricæ, quem vasallum suum esse asserebat, inuasam fisco suo addixit, quod monetam deteriorasset.

P. 19. *Defertur ad extra*) Hoc est in quo falluntur illi harum fraudum aut variationum artifices, quod tantum suæ regionis rationem habent; neque considerant necessitaté cómerciorum

ciorum cum aliis, vt intelligant rem monetariam ex iure gē-tium constituendam.

Extra regnum contrafaciant) Andreas Fricius Polonus lib. 1. De Republ. emendanda cap. 15. *Quia nonnulli externi populi figurā nostrorum nummorum imitati sunt, atque hac ratione suos ad nos innexerunt; videndum est num sit è republica, formam nostræ monetæ mutari.*

Bona mercimonia cessant) Quæ autem regio est sub Sole, quæ aliarum ope & commerciis carere penitus possit? aut non saltem multum commodi & emolumētij inde capere? Quo magis (vt modo tetigi) iuris gentium hac in parte ratio est habenda.

Intrinsecus negociatio perturbatur) Cuius rei elegans exemplū suppeditat Historia Bohemica de Iohanne Rege, quem Dubrauius libro XXI. scribit, ærario per profusiones euacuato ad improbam monetam cudendam animum adiecisse, Monetariis adhibitis qui è veteribus bonis nummis nouos malos recuderent, pusillo illis argento superinducto, cætera planè æreos. Sed verba adscribere iuuat Chronici Aulæ Regiæ à nobis primū editi, sub Anno MCCCXXVII. & versiculos nō illepidos: *Aduocauit Rex quosdā de Florentia Lombardos, in scientia lucrandi valde gnaros: ad horum consilium paruos denarios Rex permisit in moneta publica monetari. Cœpit ex hoc clamor in vulgo non modicus eleuari: quoniam cuprea materia, & corrupta eorum forma, impediunt omnium venalium rerum fora.*

> *Nam quiuis sutor, his nummis, dixit, abutor:*
> *Et dixit sartor, ex his nummis nimis artor.*
> *Conqueritur pistor, meus omnis quæstus in his torpet nummis, tristis etiam fit faber in istis*
> *Denariis paruis, luit hoc villanus in aruis:*
> *Artificum turba clamant super hoc & in vrbe.*
> *Optant deleta citò, quod sit iniqua moneta.*
> *Nemo stat exceptus, qui non damnum sit adeptus*
> *Per talem fraudem: si cessat, tunc cane laudem.*

P. 20. *Iudices*) id est Iurisperitos, Doctores: quos omnes iuri dicūdo operatos ea ætas *Iudices* vocauit, vt legimus apud Petrum de Vineis, Radeuicum, Marsilium Patauinum, & in c. 17. De election. in 6.

Campso-

Campsores) permutatores monetæ, ἀργυραμοιβοὺς, quorum est καταλλάττειν καὶ κατακερματίζειν τὰ νομίσματα, apud Pollucem.

Mercatores monetæ) Qui quod omne genus pecuniæ in parato haberent. & pro suo quodam lucello (quod *Stellaturam* vocant) desiderantibus repræsentare possent, olim *Collectarii* dicebantur, Symmacho lib. x Epist. 42 Theodosio Nouella x x v. νομισματοπώλης apud Antiphanem, & νομισματοπωλική apud Platonem, *Venditores pecuniæ* aliquoties apud Paul. Diaconum in historia Miscella. Quorum artes & cautelas accuratè examinat Dominic. Soto lib. v i. de Iustit. & iure. Q 8. Hisce verò subsidio esse solent cæteri mercatores, qui aureas argenteasque bonas pecunias, quas quotidie accipiũt, colludio quodam hisce collectariis & monetariis suggerunt, quod grauissimè taxat Damhouder. in Pract. crimin. cap. 65. Et de his veterem querelam inuenio in versiculis ante nostrum sæculum scriptis, corruptelas omnium ordinum deplorantibus, Tit De mercatoribus.

Item mundi mercatores
Quid sunt heu quam truffatores? Et postea in specie:
Quando boni nummi vadunt,
Statim eos igni tradunt:
Sicque manet pagamentum
Scoria, & non argentum.
Sic confundunt mundum totum:
Istud undique est notum.

Qui sunt optime) Quales sunt litterati & scientiis dediti, qui ista pecuniaria non intelligunt neque curant. Tullius ipse ad Atticum: *Vide ne qua lacuna sit in auro, ego ista non intelligo.*

P. 21. *Innumerabiles perplexitates*) De quibus peculiares & spinosi tractatus extant, Bruni, Aquilæ, Curtii, & aliorum, consilia verò infinita, Iac. Curtii εἰκαστῶν. Tom 11 lib. III. cap. 15. Car. Molynei disquisitio accurata in Tract. de commerc. Quæst 90. vsque ad 100.

Ipsa communitas possit) & cum ea Princeps: quomodo in Imperio nostro Cæsar cum ordinibus. Idque facit etiam textus in d. c. quanto. De iureiur. per verba, *assensu populi irrequisito*, vti ibi vult Guido Papæ num. 2. & Molynæus bene notat: quidquid dicat Nicol. Boerius Decis. Burdegal. 327. num. 6. Pertinet

net enim hæc res nummaria magnopere ad ipſam quoque plebem & popellum, cuius conſenſus non eſt excludendus aut negligendus. Vt & olim apud Romanos Marius Gratidianus Prætor cum hanc rem agitaret, collegium Prætorum Tribunos plebis adhibuit, vt res nummaria de communi ſententia conſtitueretur, quæ tunc ita iactabatur, vt nemo ſcire poſſet quid haberet, ait Tullius III. officior. Addit Plinius, ab eodem Gratidiano artem introductam denarios probandi, tam iucundam plebi, vt illi vicatim totas ſtatuas dicauerint.

*Sed hoc eſt contra**) Notandum eſt hoc loco eſſe inſignem lacunam & defectum propemodum integri (vt mihi videtur) Capitis, quo continebantur quædam obiectiones, ad quas articulatim reſpondet toto capite ſeq. Nam quod hic ſequitur, *hoc eſt contra honorem regni, attentare Principem exheredatare, &c.* ipſum eſt ad quod vltimo loco reſpondet infra pag. 24. in princ. dicens hanc eſſe vocem falſiloquorum adulatorum, & reipublicæ proditorum.

P. 22. *Papa nunquam hoc conceſſit*) Imo prohibuit, & conſcientias Principum eo nomine adſtrinxit. d. c. quanto. De iureiur. d. Extra vag. De crim. falſi.

Imp. nulli potuit dare) Neque vero vſquã aut vnquam dedit. Imo quã religiosè & integrè Romani olim Principes per ſuos magiſtratus & officiales voluerint monetariam rem adminiſtrari, indicio eſſe poteſt vel illa Formula qua Moneta committitur apud Caſſiodorum Lib. VI. cap. 7. & Lib. VII. ca. 32. vbi in fine hac clauſula additur: *Nam ſicut caſtus aſperos ſubibis, ſi quid fortaſſe deliqueris; ita irremuneratum non relinquemus, ſi te egiſſe inculpabiliter ſenſerimus.*

P. 24. *Deberet priuilegium perdere*) Tralaticium eſt, priuilegium mereri amittere, qui eo præſumit abuti. L. ſi quos. C. de offic præfec. prætor. Orient. c priuilegium. XI q. 3. Et de priuilegio monetæ in Imperio noſtro nominatim conſtitutionibus cautum eſt, vt legum violatores præter priuationem eius iuris, proſcriptionem quoq; ipſo iure incurrant. Comit. LXVI. §. 31.

NOTÆ AD GABR. BYEL.

P. 34. *Liga, id eſt, ſpecies mixtura*) Vox Italica, quæ apud Dãtem legitur loco ſupra allato: *La Lega ſuggillata del Battiſta.* Significans

gnificans vinculum & copulam quandam, qua vt aliâs alia, ita in hac materia duo vel plura metalla certa lege & quasi fœdere inuicem iunguntur, vniuntur, & quasi colligantur. Id enim est *Liga* apud Longobardos, fœdus, vnio, coniuratio. Stat. Mediolan, Tit. De pœnis §. *Ne fiant liga.* Vnde *Feudum Ligium, vasallus ligius, homines ligii*: λίζιον· οἱ λατῖνοι ὀνομάζουσι, ait Nicetas. Francogalli qui alias Ligam *Ligue* dicunt, hanc metallorum mixtionem ad differentiam illius *Aloy* vocant: & *Aloyer*, metalla ista ratione contemperare & iungere, tradit Molynæus.

Pro Floreno aurum ponderans dragmam) Non fortuitum exemplum. Verè enim Florenus eius æui Rhenensis aureus, drachmam pendebat, Ducato hodierno etiam bonitate proximus. Quæ bonitas ab eo tempore paulatim & in auri probitate & pondere decoxit.

P. 38. *Data est sibi pro bona*) Tullius III. Offic. *Quærit etiam Hecaton, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis; cum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis? Diogenes ait, Antipater negat: cui potius assentior.* Sed non dubito eum cum Antipatro potius sensisse. Alia mens foret auaro & improbo danistæ, qui nollet sibi talem nummũ perire. Ausonius Symmacho: *Hunc ego cum velut gallinaceus Euclionis eruissem, excussum relegi: atque vt auidus fœnerator improbum nummum malui occupare quam condere.* Illud extra dubium est, reprobos nummos nõ parere liberationem, & actionem creditori quoad eos saluam manere. L. CII. D. de solution. Sed vicissim creditorem vel venditorem eosdem, quos forte accepit, debitori reddere debere, non abolere. L. XXIIII. §. I. D. de pignorat. act. *reprobus domino reddendus*, inquit: quia nimirum etiam ad aliquid possunt esse vtiles, saltem pro ipsa materia: & si precium non sunt, in merce haberi, vendi palam collybistæ pro reprobis, suo qualicunque precio: imo fit, vt etiam pluribus bonis denariis vnus malus artis pernoscendæ ergo ematur, vt alibi è Plinio retulimus.

A N-

ANDREAS FRICIVS MODREVIVS POLONVS, DE REPVBLICA EMENDANDA Lib. I. cap. XV.

IN re monetaria consideranda videntur & materia, & pondus, & forma publica. Priora duo vulgo non satis agnoscuntur, ac ne obseruantur quidem in nummis paruis: tertium conspectu facilè noscitur. Verum quia nonnulli externi populi figuram nostrorum nummorum imitati sunt, atque hac ratione suos ad nos inuexerunt, videndum est, num sit è Repub. formam nostræ mutari; aliter enim externa vix exigi potest. Qui falsam & adulterinam olim cudebant, ad bestias condemnabantur, si liberi erant: si serui, vltimo supplicio afficiebantur. Rationem etiam inuenire, ne pecunia extra fines exportetur, perutile fuerit: quod vix aliter fieri posset, quam si pluris, quam æquum sit, æstimaretur, quod tamen nescio an conduceret Reipublicæ. Qui vel Romæ vel in aliis prouinciis res agunt, magnam vim auri à nobis efferunt. Hoc si in totum interdici non potest, tamen modum his rebus constitui optimum fuerit. Tanta licentia apud nos grassatur nummis peregrinis, tum aureis, tum argenteis æstimandis, vt nusquam maior. Singulis quadrantibus anni precium eorum crescit, cum bonitati eorum nihil interim adcrescat. Causas eius rei multi afferunt multas. Sed nos si non mouet vel publica vel priuata cuiusque rei iactura, quæ hanc nummorum iactationem sequitur; quid aliud mouere nos magis possit ad licentiam illam coercendam, & certam æstimandi rationem ineundam haud sanè dictu est facile. Et hoc igitur, si placet, forensi magistratui mandetur.

quasi catenatim se consequuntur : nimirum vt monetarii hæc potissimum ob præsens lucrum sine fine modoque cudant, conflatis & in hanc fabricam absumptis solidis bonisq; monetis argenteis; & iura monetę quauis conditione à Principibus in suas manus transferant. Deinde vt ob horum copiam, dum data electione nemo non solidas monetas potius cum aliquo dispendio accipere mauult, earum valor supra suam indicaturam paulatim augeatur, imo in infinitum excrescat : quando illæ solæ & precium metalli in se habent, & conseruari possunt, & in commerciis cum extraneis vsum obtinent. Et vicissim vt precia rerum omnium, ob illam monetæ inquinationem, indies scandant & intendantur. Quæ omnia quantum Reipublicæ incommodi afferant, quis non videt ?

P. 14. *Propter defectum materiæ*) Præsertim in extremæ necessitatis casu, quem Auctor hic quidem non attingit, sed ratio concedit, & exempla omnium ætatum & populorum, etiam Romani. C. Manlius apud Salustium ita loquitur: *Sæpe maiores vestri miserti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ eius opitulati sunt: ac nouissimè memoria nostra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis argentum ære solutum est.* Eadem necessitatis ratio prius coegerat pondus assium mutare, (quod ad præcedẽs caput XIII. pertinebat) & maiorem quidem in modum imminuere, de quo ita Plinius : *Libra pondus æris imminutum bello Punico, cum impensis respublica non sufficeret, constitutumque vt asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinq; partes factæ lucri, dissolutumque æs alienum.* Idemque Festus Pompeius in *Sextantarii*. Eademque causa difficillimis bellorum, obsidionum, calamitatum temporibus non tantum ęneos aut stanneos, sed etiam scorteos, ligneos, chartaceos nummos ad tempus facere compulit.

Moneta à monendo) Alludit Theodericus Rex apud Cassiodor. lib. VI. cap. VII. *monetamque facis de nostris temporibus futura secula commonere.* Sed & Panegyristes ad Theodosium Imp. *Hæc ebore reddantur, hæc marmore, hæc in coloribus viuant, hæc in ære moneantur* (ita legere placet) *hæc gemmis augeant precium.* id est, hæc in ærea moneta diuulgandæ & æternandæ memoriæ caussa repræsentetur, vt apud Romanos fieri solebat. Porrò Monetæ nomen vnde Iunoni factum, ex Romanis

manis ſcriptoribus notũ eſt. Cudit denarium T. CARISIVS. qui ſub Auguſto triumuiratum monetæ geſſit, in quo caput Iunonis vna parte viſitur, cum litteris MONETA: in altero Vulcania inſtrumenta, incus, malleus, forceps. Quæ quidem incus in Triumuirorum ipſorum nummis frequens conſpicitur: ſi non ara potius fuit, nam aliquando & coronata apparet. Aram enim in moneta fuiſſe, Ammianus meminit lib. XXI. vbi Dracontius monetæ præpoſitus ſeditione Alexandrinorum interfectus, *quod aram in Moneta, quam regebat, recens locatam* (zelo quodam) *euertiſſet.*

P.15. *Cuſtodire exemplar*) Leo Africanus de Feſſa vrbe ſcribens: *Monetariorum adibus confines ſunt aurifabrorum officina, quorum Conſul ſigillum & typos monetarum conſeruat.*

Menſurarum exemplaria) Hygenus Gromaticus in lib. De limitib. pag. 152. *pedis Monetalis* aliquoties meminit, ſic dicti, quod vt moneta publicè definitus & receptus eſſet, & fortè etiam in æde Monetæ cuſtodiretur. *Et Capitolina amphora* apud Capitolinum, quæ iuſtæ & legitimæ menſuræ, qualis in Capitolio propoſita, ad quam omnes exigerentur. Quo facit veteris congii inſcriptio: IMP. CÆS. VESPASIANO. VI. T. CÆS. AVG. F. IV. COS. MENSVRÆ. EXACTÆ. IN. CAPITOLIO. Remmius Fannius de amphora,

--------- *Quam ne violare liceret,*
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

P. 16. *Emolumentum vel lucrum*) Quæ ſanè (ſi verum amamus) ſola & vnica cauſſa corruptæ & fluctuantis hodie rei monetariæ, dum ſublime & auguſtum iſtud regale in quæſtũ à nonnullis indignè conuertitur, redemptorumque libidini precio proſtituitur: & quod nil niſi atteſtatio veritatis eſſe debebat (vt benè hic Oreſmius docet) ad quẽdam vt nouũ ita illegitimũ adquirẽdi modũ vſurpatur. Sed manũ ab vlcere.

Præter naturalem ipſius vſum) Quandoquidem pecunia res per ſe ſterilis fructum naturæ ordine producere nullum poteſt. Vnde nonniſi impropriè à Græcis τόκος, à nobis *Wucher* dicitur, quod vtrumque fructum ſonat.

Par eſt ipſi vſura) Quo omnino loco vel apud Feſſanos in Africa haberi ſupra retulimus. Quid apud nos Chriſtianos par foret?

Violenta prædatio) Ferè vt M. Cato aliquando interrogatus,

Diaboli ad perditionem populi Dei. Talibus enim nequam artibus & per legum insolentiam coangustabunt huius regni terminos, quos ego dilataui vsque ad montes, qui sunt vltra Krakou nomine triti, per Dei gratiam & populi opulentiam. Nam

Diuitiæ plebis sunt laus & gloria Regis.

Nec sibi sed Domino grauis est, quem grauat egestas.

P.18. *Monetam falsificare*) Quam flagitii notam impingit Philippo Pulchro Galliæ Regi Dantes Poeta Florentinus, sui seculi censor liberrimus, Paradisi Canto xix.

Li si vedra il duol, che sopra Senna

Induce falseggiando la moneta

Quei, che morrà di colpo di cotenna. Quia primus monetam argenteam in regno Franciæ dimidia parte ligæ debilitasset: quæ res subditis occasionem magnorum tumultuum dedit, & Principibus extraneis perniciosissimum exemplum præbuit Cuius cum ipsum tandem pœniteret, filio suo Ludouico Hutino testamento iniunxit, *vt caueret à deprauatione monetarum*, vt Bodinus refert Postea tamen Carolus etiã Pulcher suscepto Aquitanico bello, vrgente æris inopia argentei numi bonitatem admodum imminuit paterno exemplo, vt ex Villaneo Massonus refert. Eoque pertinet constitutio illa Iohannis xxii. PP. sub Tit. *De crimine falsi*, vbi queritur sub vero signo Caroli Regis Francorum & Nauarræ monetam data opera deprauari, cadereque à suo recto pondere: quę spicula non obscurè in Regem ipsum cuius auctoritate nummi bonitas imminuta fuerat, iaculatus videtur. Eamque rem postea Oresmio occasionem huius libri scribendi dedisse apparet: cuius idem Massonus nominatim meminit in Carolo V. Rege.

Incumbit condemnare) addo, ipsam antea omnia monetam improbam condemnare, prohibere edictis & reprobare, deprehensam scindere & abolere. Scæuola in l. 102. D. de solution. *Mox pecunia qua illa Respublica vtebatur, quasi ærosa iussu Præsidis sublata est.* Idemque D. Epiphanius in lib. De pōderibus & mensuris testatur, & Etymologici auctor: Διακέκοπται, οἷον ἀδοκιμαστόν ἐστι. Διέκοπτον γὰρ τὸ ἀδόκιμον νόμισμα οἱ παλαιοί.

Turpissima morte) Flammarum exustionibus, ceu competenti supplicio pro eius elementi abusu. L. V. C. Th. de falsa monet.

mouet. Exemplum ponit Dantes de quodam magistro Adamo Brixiensi, qui cum esset insignis monetarius, auaritia tactus secretò falsificauit florenos aureos (qui Florentini dicebantur, vna parte S. Iohannem Baptistam, altera Lilium habentes) quo detecto comprehensus & exustus fuit: quem apud inferos ita miseriam suam deplorantem inducit. Cantu XX:

Ivi é Romena lá, dou' io falsai
La lega suggillata del Batista.
Perch' io il corpo suso arso lasciai.

vel alio vltimo supplicio, cum bonorum publicatione: aut vt mitissimè, manus amputatione, vt scripsi in Legib. nummar. cap. I. Quod & apud Fessanos fieri Leo Africanus scribit, & apud Venetos hodie fieri audio, & ita quidem vt miseri illi truncatis manibus quotidiè certis horis differto foro per medias mensas & tabernas spectaculi exemplique ergo traducantur.

Rei qua debet esse certissima) Cum velut sponsor & expromissor quidam sit humanis necessitatibus & commerciis, vt Philosophus ait, οἷον ἐγγυητής ἐστιν ἡμῖν. Et hoc tralaticium est apud iuris auctores, *Numorum certam esse æstimationem.* L III. D. de in litem iuran. Videsis Dominicum Soto Lib. III. De iustit. & iure. Quæst 5 Artic. 3.

Irreuereri præcessores suos) Quanto laudabilius institutum Regum Arragoniæ, qui ad coronam venientes more à maioribus accepto, solemne iusiurandum dant, inter alia hoc continens, *se antiquas monetæ leges non infringere,* nec cursum nec pedem monetæ approbatæ mutare velle, auctore Petro Belluga in Speculo Principum Ann. 1245. & 1337. Quo pertinet rescriptum Innocentii III ad Regem Arragoniæ in c. Quanto. 18. De iureiur. qui consiliariorum suasu iurasset, *Vsque ad certum tempus patris sui conseruare monetam.* Eandemque ob caussam Petrus IV. Rex Arragonum ditionem Regis Maioricæ & Minoricæ, quem vasallum suum esse asserebat, inuasam fisco suo addixit, quod monetam deteriorasset.

P. 19. *Defertur ad extra*) Hoc est in quo falluntur illi harum fraudum aut variationum artifices, quod tantum suæ regionis rationem habent; neque considerant necessitatē cōmerciorum

ciorum cum aliis, vt intelligant rem monetariam ex iure gẽtium constituendam.

Extra regnum contrafaciant) Andreas Fricius Polonus lib. 1. De Republ. emendanda cap. 15. *Quia nonnulli externi populi figurã nostrorum nummorum imitati sunt, atque hac ratione suos ad nos immexerunt; videndum est num sit è republica, formam nostræ monetæ mutari.*

Bona mercimonia cessant) Quæ autem regio est sub Sole, quæ aliarum ope & commerciis carere penitus possit? aut non saltem multum commodi & emolumẽti inde capere? Quo magis (vt modo tetigi) iuris gentium hac in parte ratio est habenda.

Intrinsecus negociatio perturbatur) Cuius rei elegans exemplũ suppeditat Historia Bohemica de Iohanne Rege, quem Dubrauius libro XXI. scribit, ærario per profusiones euacuato ad improbam monetam cudendam animum adiecisse, Monetariis adhibitis qui è veteribus bonis nummis nouos malos recuderent, pusillo illis argento superinducto, cætera planè æreos. Sed verba adscribere iuuat Chronici Aulæ Regiæ à nobis primũ editi, sub Anno MCCCXXVII. & versiculos nõ illepidos: *Aduocauit Rex quosdã de Florentia Lombardos, in scientia lucrandi valde gnaros: ad horum consilium paruos denarios Rex permisit in moneta publica monetari. Cœpit ex hoc clamor in vulgo non modicus eleuari: quoniam cuprea materia, & corrupta eorum forma, impediunt omnium venalium rerum fora.*

Nam quiuis sutor, his nummis, dixit, abutor:
Et dixit sartor, ex his nummis nimis artor.
Conqueritur pistor, meus omnis quæstus in his torpet nummis, tristis etiam fit faber in istis
Denariis paruis, luit hoc villanus in aruis:
Artificum turba clamant super hoc & in vrbe.
Optant deleta cito, quod sit iniqua moneta.
Nemo stat exceptus, qui non damnum sit adeptus
Per talem fraudem: si cessat, tunc canit laudem.

P. 20. *Iudices*) id est Iurisperitos, Doctores: quos omnes iuri dicũdo operatos ea ætas *Iudices* vocauit, vt legimus apud Petrum de Vineis, Radeuicum, Marsilium Patauinum, & in c. 17. De election. in 6.

Campso-

Campsores) permutatores monetæ, ἀργυραμοιβοὺς, quorum est καταλλάττειν καὶ κατακερματίζειν τὰ νομίσματα, apud Pollucem.

Mercatores monetæ) Qui quod omne genus pecuniæ in parato haberent & pro suo quodam lucello (quod *Stellaturam* vocant) desiderantibus repræsentare possent, olim *Collectarii* dicebantur, Symmacho lib. x Epist. 42 Theodosio Nouella xxv. νομισματοπώλης apud Antiphanem, & νομισματοπωλική apud Platonem, *Venditores pecuniæ* aliquoties apud Paul. Diaconum in historia Miscella. Quorum artes & cautelas accuratè examinat Dominic. Soto lib. vi. de Iustit. & iure. Q 8. Hisce verò subsidio esse solent cæteri mercatores, qui aureas argenteasque bonas pecunias, quas quotidie accipiũt, colludio quodam hisce collectariis & monetariis suggerunt, quod grauissimè taxat Damhouder. in Pract. crimin. cap. 65. Et de his veterem querelam inuenio in versiculis ante nostrum sæculum scriptis, corruptelas omnium ordinum deplorantibus, Tit De mercatoribus.

Item mundi mercatores
Quid sunt heu quam truffatores? Et postea in specie:
Quando boni nummi vadunt,
Statim eos igni tradunt:
Sicque manet pagamentum
Scoria, & non argentum.
Sic confundunt mundum totum:
Istud vndique est notum.

Qui sunt optimæ) Quales sunt litterati & scientiis dediti, qui ista pecuniaria non intelligunt neque curant. Tullius ipse ad Atticum: *Vide ne qua lacuna sit in auro, ego ista non intelligo.*

P. 21. *Innumerabiles perplexitates*) De quibus peculiares & spinosi tractatus extant, Bruni, Aquilæ, Curtii, & aliorum, consilia verò infinita, Iac. Curtii εἰκαστῶν. Tom 11 lib. III. cap. 15. Car. Molynei disquisitio accurata in Tract. de commerc. Quæst 90. vsque ad 100.

Ipsa communitas possit) & cum ea Princeps: quomodo in Imperio nostro Cæsar cum ordinibus. Idque facit etiam textus in d. c. quanto. De iureiur. per verba, *assensu populi irrequisito*, vti ibi vult Guido Papæ num. 2. & Molynæus bene notat: quidquid dicat Nicol. Boerius Decis. Burdegal. 327. num. 6. Pertinet

net enim hæc res nummaria magnopere ad ipsam quoque plebem & popellum, cuius consensus non est excludendus aut negligendus. Vt & olim apud Romanos Marius Gratidianus Prætor cum hanc rem agitaret, collegium Prætorum Tribunos plebis adhibuit, vt res nummaria de communi sententia constitueretur, quæ tunc ita iactabatur, vt nemo scire posset quid haberet, ait Tullius III. officior. Addit Plinius, ab eodem Gratidiano artem introductam denarios probandi, tam iucundam plebi, vt illi vicatim totas statuas dicauerint.

*Sed hoc est contra**) Notandum est hoc loco esse insignem lacunam & defectum propemodum integri (vt mihi videtur) Capitis, quo continebantur quædam obiectiones, ad quas articulatim respondet toto capite seq. Nam quod hic sequitur, *hoc est contra honorem regni, attentare Principem exheredatare, &c.* ipsum est ad quod vltimo loco respondet infra pag. 24. in princ. dicens hanc esse vocem falsiloquorum adulatorum, & reipublicæ proditorum.

P. 22. *Papa nunquam hoc concessit*) Imo prohibuit, & conscientias Principum eo nomine adstrinxit. d. c. quanto. De iureiur. d. Extra vag. De crim. falsi.

Imp. nulli potuit dare) Neque vero vsquã aut vnquam dedit. Imo quã religiosè & integrè Romani olim Principes per suos magistratus & officiales voluerint monetariam rem administrari, indicio esse potest vel illa Formula qua Moneta committitur apud Cassiodorum Lib. VI. cap. 7. & Lib. VII. ca. 32. vbi in fine hæc clausula additur: *Nam sicut casus asperos subibis, si quid fortasse deliqueris; ita irremuneratum non relinquimus, si te egisse incu'pabiliter senserimus.*

P. 24. *Deberet priuilegium perdere*) Tralaticium est, priuilegium mereri amittere, qui eo præsumit abuti. L. si quos. C. de offic præfec. prætor. Orient. c. priuilegium. XI q. 3. Et de priuilegio monetæ in Imperio nostro nominatim constitutionibus cautum est, vt legum violatores præter priuationem eius iuris, proscriptionem quoq; ipso iure incurrant. Comit. LXVI. §. 31.

NOTÆ AD GABR. BYEL.

P. 34. *Liga, id est, species mixtura*) Vox Italica, quæ apud Dantem legitur loco supra allato: *La Lega suggillata del Battista.* Significans

ANDREAS FRICIUS MODREVIUS POLONUS, DE REPUBLICA EMENDANDA

Lib. I. cap. XV.

IN re monetaria consideranda videntur & materia, & pondus, & forma publica. Priora duo vulgo non satis agnoscuntur, ac ne obseruantur quidem in nummis paruis: tertium conspectu facilè noscitur. Verum quia nonnulli externi populi figuram nostrorum nummorum imitati sunt, atque hac ratione suos ad nos inuexerunt, videndum est, num sit è Repub. formam nostræ mutari; aliter enim externa vix exigi potest. Qui falsam & adulterinam olim cudebant, ad bestias condemnabantur, si liberi erant: si serui, vltimo supplicio afficiebantur. Rationem etiam inuenire, ne pecunia extra fines exportetur, perutile fuerit: quod vix aliter fieri posset, quam si pluris, quam æquum sit, æstimaretur, quod tamen nescio an conduceret Reipublicæ. Qui vel Romæ vel in aliis prouinciis res agunt, magnam vim auri à nobis efferunt. Hoc si in totum interdici non potest, tamen modum his rebus constitui optimum fuerit. Tanta licentia apud nos grassatur nummis peregrinis, tum aureis, tum argenteis æstimandis, vt nusquam maior. Singulis quadrantibus anni precium eorum crescit, cum bonitati eorum nihil interim adcrescat. Causas eius rei multi afferunt multas. Sed nos si non mouet vel publica vel priuata cuiusque rei iactura, quæ hanc nummorum iactationem sequitur; quid aliud mouere nos magis posit ad licentiam illam coercendam, & certam æstimandi rationem ineundam haud sanè dictu est facile. Et hoc igitur, si placet forensi magistratui mandetur.

V Brunst.